HYMNI

INSTAURANDI

BREVIARII ROMANI

CONSILIUM AD EXSEQUENDAM CONSTITUTIONEM
DE SACRA LITURGIA

HYMNI
INSTAURANDI
BREVIARII ROMANI

LIBRERIA EDITRICE VATICANA
CITTÀ DEL VATICANO
MCMLXVIII

Tipografia Poliglotta Vaticana

CONSPECTUS OPERIS

INTRODUCTIO

I

DE CONSTITUTIONIS PRAECEPTO CIRCA HYMNOS EXSEQUENDO

Constitutio «Sacrosanctum Concilium» de sacra Liturgia, art. 93, haec praecipit: « *Hymni, quantum expedire videtur, ad pristinam formam restituantur, iis demptis vel mutatis quae mythologiam sapiunt aut christianae pietati minus congruunt. Recipiantur quoque, pro opportunitate, alii qui in hymnorum thesauro inveniuntur* ».

A – De hymnorum natura

1. Hoc praescripto Concilium Vaticanum II supponit in primis atque confirmat hymnos in nova Breviarii ordinatione esse servandos.

2. Neque mirandum. Hymni enim, quippe qui in lyricorum ordine carminum locum teneant egregium, vi potiuntur optima ut affectus exprimant vel excitent animorum, ita ut quae mens de Deo divinisque rebus rite cogitat, pietas in poeticam celebrationem convertat, quae vero commota corda versibus modisque proferunt, et veritatem intellectui magis pandant et devotionem religionis augeant.

3. Quandoquidem « cantare amantis est », ipse quoque amor in Deum cantum suscitat vehementer; unde fit ut singulorum animi, maxime vero fidelium in unum collectorum, summopere gaudeant carminibus cantui musicaeque aptis Dominum collaudare, ipsum supplices deprecari, eius mirifica commentari mysteria, Virginis Matris sanctorumque omnium extollere gesta ac postulare suffragia.

4. Conditi ab hominibus, hymni etiam in Opere Dei psalmis misti sunt canticisque divinitus inspiratis, non quidem ut illis pares efficerentur, sed ut verbis quae de caelis missa erant mortalibus decantanda, humilis quaedam ipsi evaderent et grata responsio, quae de terra ad caelos cantibus resiliret.

5. Hanc hymnorum efficacitatem in sensus animi erga Dominum erigendos, hanc eorum dulcedinem qua plurimum Dei populo iure probantur, operatur etiam et auget litteraria venustas qua complures ex iis, saltem qui usui sunt ascripti liturgico, omnium peritorum iudicio sunt induti.

6. Neque illud praetereundum est eorum officium, quo uniuscuiusque Horae canonicae vel mysterii individuam specialemque notam statim et expresse exhibent, iustamque singulis celebrationibus condicionem mentium cordiumque suppeditant.

7. Inde patefit cur ipsi locum teneant iam longissima traditione stabilem in laudis sacrificio persolvendo; quem Patres Concilii, zelo ducti et experientia pastorali, sollemniter firmaverunt.

B – Brevis conspectus historicus

8. Quod gentiles, ac praesertim Graeci et Romani, in suorum honorem deorum hymnodicis erant cantibus prosecuti; quod tanto sanctius elatiusque populus Hebraeus gesserat in laudem Dei vivi et veri, hoc et egerunt christiani iam aevo apostolico, quos Paulus inducit « psalmis, hymnis et canticis spiritualibus, in gratia cantantes... Deo » (*Col.* 3, 16; *Eph.* 5, 19).

9. Etsi distincte designare non valemus quid sit « carmen » illud quod Plinius (*Ep.* X, 96) aiebat christianos « Christo quasi Deo dicere secum invicem », hoc tamen certum est, quod praeter cantica neo-testamentaria, alia quoque satis cito invecta sunt hominum ingenio comparata, inter quae magnam doxologiam memorare sufficiat Δόξα ἐν ὑψίστοις, et hymnum Φῶς ἱλαρόν, in quo imago Ioannis de Christo-Luce primum fortasse inter tales textus invenitur, optimam longamque in hymnodia occidentali adeptura fortunam.

10. Neque id omittendum, quod carminibus fundendis ac diffundendis incrementum dedit anxius haereticorum usus, cui et orthodoxi respondentes aliquantulum adhaeserunt: verbis enim illis populus delectabatur et simul doctrinis imbuebatur vulgatis. Qua ratione ductus, etiam Augustinus abecedarium *Psalmum contra partem Donati* composuit.

11. De hymnorum liturgico usu in Oriente non plurimi quidem textus, sed complura exstant testimonia. In Occidente vero primus videtur exhibere testimonia Tertullianus, quorum praecipuum nobis est illud (*De spectac.*, 39): « ut quisque de scripturis sanctis *vel de proprio ingenio* potest, provocatur in medio Deo canere ».

12. At primus, quem in comperto habemus hymnos de industria composuisse ut a populo, more Orientalium, in Dei laudem canerentur, Hilarius Picta-

viensis fuit, cuius tamen poetici partus fere omnes perierunt, neque videntur multum ad plebis usum aut ad posteriorum hymnorum procreationem valuisse.

13. Maximopere vero valuit Ambrosius Mediolanensis, qui primus exemplar carminis strophis concinne exaratis effinxit, quod a populo facile intellegeretur et delectabiliter caneretur, ac simul esset sententiarum nobilitate, observantia metri, devotionis pietate conspicuum. Hymnorum eius tam secunda merito fortuna ac lata propagatio fuit, ut plurimi ad eius formam statim et postea compositi sint et summatim « ambrosiani » ipsius ex nomine nuncupati.

14. Splendorem praeterea sacris carminibus tunc ac superveniente aetate addiderunt versuum conditores illustres, praecipue Prudentius, quem omnes agnoscunt christianorum veterum poetarum principem, Sedulius, Ennodius, Venantius Fortunatus, qui metrorum quoque diversitatem structurasque varias induxerunt.

15. Usus tamen hymnorum in liturgia non ubique eodem tenore viguit; quin immo hic atque illic, praesertim in Hispania, vim obsistentium debuit sustinere; in ipsis basilicis Urbis sero, circa saeculum XII, invalescere potuit.

16. Propagatio vero numquam desiit, ope praesertim monachorum. Regulae enim Caesarii et Aureliani, potissimum vero Regula Benedicti, cuius observatio totam fere occupaverat Europam, hymnos ad Opus Dei praecipiebant; praeceptum autem novis producendis favebat; unde factum est ut mira in coenobiis creatio carminum effloresceret indeque in ecclesias promanaret.

17. Neque solum in Italia et in Gallia, sed etiam in Hibernia cultus hymnorum viguit, in Hispania, ubi in liturgiam propriam sunt illati, et apud Anglos-Saxones, inter quos Beda eminet.

18. Renovatio autem, quam vocant, Carolina, ope praesertim Alcuini, Pauli Diaconi, Paulini Aquileiensis, Theodulfi, Rabani Mauri, novum addidit incrementum, ad morem sane veterum auctorum stilum reducens. Neque tamen progressio per eam impedita est aliarum formarum quae rhythmo magis quam metro iamdiu serviebant, quaeque infinitam varietatem invexerunt eorum carminum quae « sequentiae » appellantur. Quae quidem, sine certa regula prius quodammodo procedentes, ut apud Notkerum, ad eam tandem regularem structuram pervenerunt quam in Adamo de S. Victore aliisque compluribus aevi medii hymnographis admiramur perfectam, illo saepissime praeditam consonantiae elemento, quod vulgarium usui carminum maxime congruebat.

19. Incredibile dictu est quanto vigore aetas media, traditioni insistens ac libertati simul favens, hymnos protulerit, accedentibus ad veteres monachos recentibus Mendicantium ordinibus. At si non pauci ex illis fervore pietatis, sensuum simplicitate et stili saepe elegantia sunt insignes, ut apud Petrum

Damiani, Alfanum Salernitanum, Thomam Aquinatem, etc., fatendum sane est plurimos esse vi poetica destitutos vel vacuis artificiis nimium indulgere.

20. Ii vero qui in liturgia Romana, iam fere omnibus communi, sedem habebant, digni paene omnes et opportuni aestimandi erant. Quod non accipiendum visum est viris illis litteratis qui saeculis XV ac XVI summo sunt incensi ardore in antiquorum auctorum elegantiam resumendam. « Barbarizare » ab iis dicti sunt tot hymni quos longo saeculorum decursu docti homines devotusque populus in Ecclesia consueverant decantare. Emendatio postulabatur, atque tanti muneris officium commissum est Zachariae Ferreri, qui hymnos paravit et edidit (a. 1523) tam arguenda ratione ethnicismum olentes, ut nullum successum sint recte ac merito consecuti.

21. Parum vero hymnis nocuit breviarium Quignonianum; quin etiam Pianum, a. 1568 editum, fere omnes veteres retinuit, ita ut ipsum dici possit quoad hymnos simile magis esse breviariis manu scriptis saeculorum XIII et XIV, quam breviariis initio saeculi XVI excusis. Parum quoque immutationum induxit emendatio quae in breviario a. 1602 est effecta.

22. At vehementissima orta est perturbatio sub Urbano VIII, quo iubente, moderante et operis quoque socio, docti viri F. Strada, T. Galluzzi, H. Petrucci et M. Sarbiewski in totius hymnarii correctionem incubuerunt, quae, humanistarum praeiudicatis opinionibus nimium innixa, saepe facta est depravatio. Non facile quidem contra eos lapides sunt iactandi; neque ex toto est illi adhaerendum effato « Accessit latinitas, recessit pietas », cum quaedam in ipsis emendatis hymnis, nunc quoque exstantibus in breviario Romano, sint feliciter inventa et eleganter expressa. Negari tamen nequit iniuriam compluribus ac venerandis carminibus esse illatam, nimiis immutationibus absque necessitate solaque metrorum sollicitudine introductis.

23. Huic innovationi, cui complures obstiterunt, adhaesit praesertim C. Guyetus, qui et ipse alios hymnos ecclesiarum proprios emendavit. Saeculis vero recentioribus alii non pauci hymnorum compositores additi sunt, praesertim in Gallia, quorum tamen opera, etsi hic atque illic in peculiaribus breviariis, non in universali breviario Romano sunt locum adepta.

24. In hoc autem hymnis veteribus novi sunt adiecti, novis in liturgia celebrationibus accedentibus. Neque defuerunt qui venustos versus conficerent, etsi tenore ac sapore ab antiquis diversos: inter quos ipse Summus Pontifex Leo XIII et recentes numerandi sunt S. Rituum Congregationis hymnographi.

25. Tam vetustum sacrumque thesaurum, cui comparando diu allaboraverunt plurimorum variorumque virorum acumen ingenii, cordis religio, ardor poeticus, artis amor et sensus, iure meritoque diligit atque custodit Ecclesia, rite agnoscens et suas esse has divitias pretiosas et valde posse iis plebem Dei iuvari ac foveri ad Dominum in laetitia atque sanctitate laudandum.

C – De pristinae formae restitutione

a) De textu reddendo

26. Quod praecipit Constitutio, nempe ut « hymni, quantum expedire videtur, ad pristinam formam restituantur », hoc probe respondet diuturno liturgiae atque rei litterariae cultorum desiderio, qui aegre ferebant, tum solito detrimento quod usus affert, tum praecipue recognitione illa Urbaniana, multos breviarii hymnos primigenam formam in verbis et in ipsis sententiis amisisse. Equidem hodierna criticae artis eruditio postulabat, ut etiam haec praeclara christianae poeseos documenta ad puritatem suae originis redderentur.

27. Cui muneri obeundo favebant complura opera quae, praesertim a superiore saeculo ad dies nostros, cum singulorum auctorum poemata, tum hymnorum plus minusve copiosorum collectiones iuxta normam criticam exhibebant. Memorare hic satis sit, quamvis defectibus non careant, *Analecta hymnica* edita a J. M. Dreves, C. Blume, H. M. Bannister.

b) De necessariis mutationibus

28. Res tamen, quae facilis quodammodo videbatur, suis non erat difficultatibus destituta. Hymni enim liturgici, de quibus nobis erat agendum, tractandi non sunt quatenus textus litterarii aulis academicis destinati aut commentariis philologicis vel aestheticis subiciendi, sed quatenus breviario inserti, ut electissima fiant orationis, cantus, elevationis in Dominum instrumenta.

29. Ex quo manifeste patet non posse quoad eos normam de critica « formae restitutione » tam rigide ac severe intellegi et servari, ut nullam omnino sinat mutationem, ne levem quidem, ubi practica orationis vel cantus vel ipsius doctrinae theologicae ratio hoc requirat. Neque iustum hoc aut rationabile videtur, quod, ne ulla fiat immutatio, tota stropha, aut fortasse totus hymnus expungatur. Quot gemmae hoc principio concesso perirent! Quin immo, nullus fere hymnus esset qui non cogeretur discedere vel aliquam sui partem amittere.

30. Neque ita recidimus in defectum illum qui Urbanianis correctoribus exprobratur. Illi enim in hoc defecerunt, quod opinionibus humanisticis impulsi, textus frequentissime ac fere omnes deturbaverunt ut ad leges metricas ac prosodicas reducerent, hymnosque rhythmicos non rite iudicantes omnino spreverunt. Nunc vero, textus pristinos plurimi facientes maximaque sedulitate servantes, aliquid hic vel illic mutare, invertere, substituere audemus, quando legitima vere ratio expostulare videtur.

Haec autem, iuxta humilem sententiam nostram, in iis potissimum casibus apparet:

31. α) quando rigor theologicus exigit: ex. gr. (Maria) *verbo creavit Filium* (cf. n. 73);

32. β) item quando id requirit veritas historica, ut cum ad diem natalem alicuius sancti refertur hymnus, qui nunc alio die dicitur; ex. gr. *Hac* (festivitate) *Benedictus aurea ... ad regna conscendit pater* (cf. n. 264);

33. γ) quando quaedam nostris temporibus iam non conveniunt: ex. gr. stropha *Gentem auferte perfidam / credentium de finibus* (cf. n. 250);

34. δ) quando hodiernus sensus psychologicus a quibusdam locutionibus in liturgia refugit: ex. gr. *nos haedis iungat foetidis* (cf. n. 18); *o principissae caelicae* (cf. n. 187);

35. ε) quando rhythmus et accentus, praesertim in cantu cui rite iam assueti sumus, aspere aures nostras offendunt: ex. gr. *redempta plebs captívata* (cf. n. 100); *urbs beata Ierusálem* (cf. n. 143);

36. ζ) quando deficiunt vel superabundant in versu syllabae: ex. gr. *Rex aeterne Domine* (cf. n. 103); *Benedicta caeli nuntio* (cf. n. 147); vel asperae elisiones per ecthlipsim habentur: ex. gr. *aram ante ipsam simplices* (cf. n. 227);

37. η) quando demum exigit necessaria vel maior perspicuitas versuum aut locutionum: ex. gr. *Quiddamque paenitentiae / da ferre, quamvis grandium / maiore tuo munere / quod demptio sit criminum* (cf. n. 92).

38. Ut patet, tales mutationes quam minimae proponuntur in textibus auctorum magni nominis, magis in hymnis anonymis. Si quid vero abundantius in iis esse videatur, recolat optimus lector nunc agi de mutationibus *proponendis*, quae tunc reapse inserentur cum probatae fuerint et acceptae.

c) De stropharum expunctione, divisione, compactione

39. Quae diximus, pertinent etiam ad omissionem quam necessariam quandoque vel opportunam duximus unius aut plurium stropharum quae videbantur vacuae, vel tantum genericae, vel nimis ab hodierno gustu difformes.

40. Adde quod brevitati semper consulere debuimus; saepissime enim et instanter a nobis undique petitum est ne longi manerent aut inveherentur hymni. Quare, ubi concinnitas vel poetica « organicitas » compositionis non vetabat, etiam brevitatis gratia strophas minoris momenti suppressimus, aut duas (si res ferebat) in unam contraximus.

41. Divisionem quoque stropharum item, sed raro, concessimus, cum nimia carminis longitudo id postulabat neque litteraria eiusdem unitas prohibebat.

42. Rarissime vero « centonizationi » indulsimus; aliquanto autem amplius ea usi sumus solum quoad strophas celeberrimi iubili *Dulcis Iesu memoria*, et quoad versus quosdam Prudentii, quorum alios iam ita compactos in quibusdam hymnis invenimus, alios noviter compegimus, ne tam pulchrae gemmae, in longissimis carminibus passim dispersae, breviario abessent.

43. Ceterum haec omnia, quae circa formam pristinam recte restituendam animadvertimus, sapienter praevidet ac providet, ni fallimur, ipsa Constitutio, cum addit, uti legimus, « quantum expedire videtur ». Neque abs re erit adicere experientia nos hoc didicisse, quod multi atque ii doctissimi viri, criticae severaeque restitutioni merito adhaerentes, visis tamen schematibus ac propositionibus nostris, de mutationibus sincere convenerunt, quin etiam ultro alias suggesserunt.

D – De iis « quae mythologiam sapiunt aut christianae pietati minus congruunt »

44. Nullum dubium quin haec demenda vel mutanda sint. Non multa vero ipsa sunt, sive in hymnis qui nunc in breviario Romano exstant, sive in iis qui modo proponuntur. Agitur praesertim de vocabulo *Olympus*; rarius de aliis, ut sunt *Styx*, *Avernus*, *Numen*, etc.

45. Idem dicendum de verbis vel sententiis christianae pietati complurium fidelium parum consentaneis: ex. gr. *ne polluantur corpora* (cf. n. 64); etc.

46. Attendatur autem quantum haec Constitutionis animadversio ea confirmet quae de necessariis vel congruis immutationibus iam exposuimus.

E – De aliis recipiendis hymnis

47. Cum Constitutio addit: « Recipiantur quoque, pro opportunitate, alii qui in hymnorum thesauro inveniuntur », maximi momenti novitatem inducit, quam et liturgistae et eruditi et populus universus christianus omnino Patribus laudi dabunt. Ingens enim ac pretiosus thesaurus est hymnorum qui et venustatem possit Ecclesiae circumamictae varietatibus demonstrare, et animorum pietatem diversis fontibus irrorare. Cur tantae divitiae permaneant inutiles doctorumque solum studiis coartatae? Cur Ambrosii, Prudentii aliorumque etiam anonymorum voces poetarum non hodie quoque in ore populi nostri resonent ad Dominum celebrandum?

48. Praecepto igitur Constitutionis obtemperantes, ampla collectionum volumina alacriter exquisivimus, unde alios delibaremus hymnos. Haec autem in iis seligendis secuti sumus iudicia: ut ipsi essent ratione poetica vere nobiles ac digni, theologice orthodoxi, pietatis devotionem excitantes, sensui huius aetatis conformes, cantui apprime idonei.

49. Non solum praeterea metricos, sed rhythmicos quoque accepimus, cum probe norint omnes non posse puram pulchramque Latinitatem ad angustos tantum veterum auctorum limites circumscribi.

50. Etsi autem plerosque ex antiquitate et aevo medio sumpsimus, nonnullos quoque admisimus recentiore aetate compositos, si bonos dignosque invenimus, etiam ad hoc ut omnia tempora aliquid ad Dei laudes attulisse manifestius appareret.

51. Libenter insuper una cum carminibus perfectiore quadam et implexa structura elaboratis, alia posuimus simpliciore stilo cursuque faciliore composita: cum hymnis, ex. gr., Ambrosii vel Prudentii vel Pauli Diaconi, etiam *Ave maris stella*, vel *Dulcis Iesu memoria*.

52. Immo — quod est novum et multis peritis probatum — pulchras quasdam strophas opportune selectas inseruimus ex sequentiis, quae, uti notum est, sensuum animi virorem novamque vim laetitiae saepe continent et effundunt.

53. Cum igitur tanta hymnorum copia uti liceret, congruum varietati censuimus atque pietati artique proficuum, ut hymni hebdomadales, ne per totum annum semper iidem repeterentur, duplici distribuerentur cyclo, ita ut, ex. gr., alii mensibus a maio ad septembrem dicerentur, alii ab octobri ad februarium.

54. Qui duplex cyclus etiam pro Communi festorum B. Mariae V. proponitur, cum eius hymni saepius repetantur.

55. Eodem ducti iudicio, alios hymnos addidimus Adventui, Quadragesimae ac Tempori paschali.

56. Quin etiam iustum aestimavimus ut praecipua festa de Tempore, de Domino ac de sanctis, hymnis semper tribus praedita essent, si commode inveniri possent, atque ceteri sancti hymnis et ipsi propriis laudarentur quando illis instructi essent.

57. Maiore quadam necessitate, alios hymnos inveximus ad Officium lectionis; cum enim hoc diurnis quoque horis nunc celebrari queat, ipsi nostri Consilii Patres iam ab initio statuerunt ut una cum hymnis ad nocturnum tempus se referentibus, alii etiam noviter pararentur qui quavis diei hora recitari possent.

58. Etiam in Communi Sanctorum quosdam adiecimus, iuxta complurium vota, pro caelitibus Religiosis et Doctoribus.

59. Quin immo aliquando, deficiente hymno proprio vel apto de mysterio aliquo vel de sancto, ut novum componendum curaremus duximus opportunum.

60. Haec autem maior textuum copia ne sollicitudinem nimii voluminis ingerat; etsi enim « complexive » numerus est auctus, « relative » tamen, unoquoque die vel tempore vel festo, aut in breviarii libro bipartito vel quadripartito, hymni intra eosdem fere terminos manent qui fuerunt hucusque.

61. Cavendum insuper est ne iudicium de hymnis ad pristinam vel meliorem formam restitutis aut nunc noviter insertis ullo modo turbetur ex eo quod aures et lingua, diuturna iam consuetudine, aliis sint textibus assuetae, et primis novorum carminum occursibus offendantur. Temporis enim ususque processu, et intellectus eorum fiet magis perspicuus et auribus sonus ipse iucundior.

62. Huc quidem spectantes, ne novae difficultates cantui crearentur, metrorum rhythmorumque typos elegimus illos qui iam usu in breviario habentur; nempe dimetrum iambicum (ut *Lucis creator optime*), metrum sapphicum (ut *Iste confessor Domini sacratus*), asclepiadeum (ut *Te Ioseph celebrent agmina caelitum*), tetrametrum trochaicum (ut *Pange lingua gloriosi proelium certaminis*); rarius autem trimetrum iambicum (ut *Aurea luce et decore roseo*) et tripodiam trochaicam (ut *Ave maris stella*). Strophae vero sequentiarum habent iam et ipsae suam melodiam, vel facillime mutuari poterunt a notissimis strophis sequentiae *Lauda Sion*; ceterum illas Officio lectionis semper assignavimus, quod nusquam fere cantatur, ne a choris quidem, vel a choris tantum qui peculiari cantus peritia pollent.

F – De compositionis unitate

63. Cum ageretur de textibus litteraria arte confectis, in iis apparandis et aptandis, unitati quoque eorum maxime studendum fuit, ut sua quisque organica compage et cohaerentia eniteret.

64. Quare non solum attendimus ad nativum sententiarum ordinem, quantum fieri potuit, conservandum, sed etiam ad unicam toto hymno structuram metricam formamque grammaticam prosequendam. Ad hoc pertinet quod secundam vel tertiam personam grammaticam in integra stropharum serie eandem servavimus vel aptavimus; quod hymno metrico numquam doxologiam rhythmicam adiecimus; quod persona, ad quam sermo dirigeretur, una

in hymno et in doxologia a nobis considerata et inspecta sit. Ideo in capite uniuscuiusque textus vel materiem signavimus vel personam ad quam verteretur oratio.

G – De doxologiis

65. Iuxta morem aliarum orationum, praesertim autem psalmorum, in hymnis quoque usus iamdiu invaluit doxologiam addendi. At loco uniformis formulae eodem semper tenore repetendae, ut *Gloria Patri*, doxologia est hymnis apposita eiusdem structurae quae est in ceteris strophis, eisdemque modis canenda.

66. Doxologia est saepissime laus SS. Trinitatis simul nominatae, aut singularum Personarum; vel Christi solius, aut cum ceteris Personis designati. Cum vero aliquod Christi mysterium celebratur, peculiaris additur doxologia quae illud memoret: ex. gr. tempore Paschali, in Epiphania, etc.

67. In hymnis autem de sanctis nonnumquam ita celebratur gloria Dei, ut ipsi quoque caelites vel directe vel in obliquo nominentur. Quod nobis etiam cordi fuit, praesertim cum carmen integrum ad B. Mariam Virginem vel ad sanctum directo sermone verteretur.

68. Quin immo in omnibus hymnis, unitatis et cohaerentiae gratia, pro doxologia generica ac velut amorpha, propriam ac distinctam, cum fieri potuit, substituimus.

69. Animadvertendum est insuper doxologiam non necessario, iuxta hymnicam traditionem, haberi ad modum gloriae et honoris, sed etiam supplicationis; ita quidem ut fere semper mens in conclusione transferatur ad eschatologicum transitum in aeternae patriae vitam et gloriam; ex. gr. *Te nunc, Redemptor, quaesumus* (cf. n. 162).

70. Hinc est quod, ubi postrema stropha indolem prae se ferat quovis modo doxologicam, iustum duximus nullam aliam doxologiam apponere.

71. Aliquid difficultatis quidam fortasse reperiunt in eo quod saepe in doxologia verbum *sit* adhibetur de attributis quae in Deo *sunt*, ex. gr. *salus*, *vita*, *potestas*, *virtus*, etc. Equidem scimus eruditos esse viros qui velint, ac fortasse recte, Scripturae doxologias ita interpretari ut attributa illa non optativo modo (εἴη, γένοιτο), sed indicativo (ἐστί) de Domino dicantur. Attamen in hymnis, lyricis atque popularibus carminibus, non tam subtili ratione procedendum esse videtur, praesertim quia illud *sit*, potius quam « optativum », aestimandum est « affectivum »: gaudium nempe exprimit quo animi afficiuntur in affirmandis et exaltandis illis Dei perfectionibus. Quod ceterum confirmat longissima consuetudo, qua Ecclesia constanter et ubique eas for-

mulas adhibet, et in frequentissimo *Tantum ergo* cantari sinit: « *salus*, honor, *virtus* quoque / *sit* et benedictio ». Qui hymnus, qui ad Thomam Aquinatem pertinet (ut fere certum videtur), praestantiori nobis argumento est, cum nemo rigorem theologicum tanto Doctori negaverit. Totus igitur Coetus noster consensit in illo *sit* servando, eo magis quod secus non paucae nec parvae mutationes exigerentur: et si illud *sit* omnino expungeretur, sententia facile obscurior fieret; si vero illud *est* pro ipso substitueretur, elocutio evaderet colore et calore deterior.

II

DE RATIONE HUIUS EDITIONIS

A – De hymnorum serie disponenda

72. Quos nunc hymnos proponimus, ita disposuimus ut, habita quidem cycli annualis ratione, ordo teneretur quodammodo logicus et proposito nostro magis congruus. Ut nempe carmina eiusdem destinationis melius simul conspicerentur eorumque proprietas, diversitas, consonantia facilius notarentur, hoc pacto eorum successionem definivimus:

73. *a*) In Ordinario psalterii per annum, posuimus in primis hymnos omnes pro Officio lectionis, quos quidem dispertivimus prout nocturno vel diurno tempore sunt dicendi; deinde pro Laudibus, Horis minoribus, Vesperis, Completorio; omnes vero iuxta duplicem quoque cyclum distinximus.

74. *b*) In officiis de Tempore, post consuetam celebrationum seriem attendimus ad cetera Christi festa, inter quae etiam Praesentationem et Annuntiationem Domini collocavimus.

75. *c*) Ad « sanctorale » quod attinet, opportunum duximus « Communia » praemittere, cum ipsa veluti praesupponantur si propria non habeantur.

76. *d*) Sequuntur hymni pro sanctorum festis, ac primo quidem B. Mariae V., dein sanctorum festis quae potiore sollemnitate celebrantur, vel cum magnis aliis festivitatibus conectuntur (ss. Stephani, Ioannis Ev., etc.), vel cum maioribus eiusdem sancti festis coniunctionem prae se ferunt (Conversionis s. Pauli, Cathedrae s. Petri, etc.); denique pro aliis festis minoribus, quae, auctiori lectoris commodo providentes, ordine sanctorum alphabetico recensuimus.

Ceterum ne simus de hac tota dispositione solliciti, quae solum obiter nunc praebetur; cum tempus advenerit, hymnus suo quisque ordine in breviario disponetur.

77. Quandoque pro una eademque Hora duos proponimus hymnos (litteris *A*, *B* signatos), ut sciamus uter lectori magis placeat.

Haec universim dixisse sufficiat; alias animadversiones suis locis adiungemus.

B – De uniuscuiusque hymni apparatu

78. Suum quisque hymnus fixum numerum assignatum habet eoque indicatur.

79. In capite textus statim significatur persona ad quam ille dirigitur, vel thema de quo agitur.

80. Versus semper quaterni numerantur, ut facilius dignosci possint atque signari.

81. Littera initialis uniuscuiusque strophae semper maiuscula ponitur, etiam ubi sensus manserit suspensus.

82. Litteris inclinatis imprimuntur vocales quae in cantu elisionem pati debent, et duplae syllabae quae tamquam una computandae sunt.

83. Statim post versus enuntiatur eorum auctor, si notus sit, simul cum aetate compositionis plus minusve certa, et ratio versificationis qua exstructi sunt, utrum nempe iuxta metri leges an rhythmice tantum.

84. Sequuntur, ubi res ferat, adnotationes quae totum generatim textum respiciant, vel causas electionis eius ostendant.

85. Apparatus autem bibliographicus praecipuos tantum ac recentiores auctores librosque demonstrat, breviaria quoque indicans antiquiora, quibus, ut novimus, concessum est post reformationem Urbanianam hymnos veteres conservare. Eorum tamen lectiones varias non signavimus nisi peculiari nobis adiumento essent.

86. Denique notae succedunt, eaedemque quam paucissimae, quae opportunae visae sint ad versus vel vocabula rite explicanda, aut ad alia declaranda vel suggerenda, quae expolitiori possent hymni substantiae, stilo, venustati prodesse.

87. In fine totius hymnorum corporis, series praebetur doxologiarum quae communiores occurrunt, quarum singuli numeri, ubi necesse sit, in hymnorum conclusionibus indicantur.

88. Sequuntur tandem complures Indices, ut facillime lector possit tum totius operis materiem ordinemque complecti, tum celebrationes et hymnos singillatim reperire.

89. Si quid vero desit, si quid mendis vel defectibus laboret, faveat benignus lector labori nostri Coetus indulgere veniamque concedere, quin etiam suae

lumine scientiae nobis quod expedit humaniter illustrare, sententiam suam maxima pandere cum libertate, hymnos alios, si quos dignos censuerit, indicare *, ut omnia quae fecimus, sumusque facturi, in gloriam Domini cedant, in honorem Ecclesiae et in christianae pietatis augmentum.

ANSELMUS LENTINI
Coetus a studiis VII
Relator

* Qui hos hymnos suo diligenti severoque studio, vel, facultate obtenta, experimento quoque subiecerint in divino Officio persolvendo, atque suas animadversiones manifestare cupierint, enixe rogantur ut quam primum illas, sive scripto exaratas sive typis editas, mittere velint ad Consilii Secretariam, hac inscriptione utentes:

CONSILIUM AD EXSEQUENDAM CONSTITUTIONEM DE S. LITURGIA
Palazzo S. Marta
00120 CITTÀ DEL VATICANO

SIGLA ET ABBREVIATIONES

Auctorum vel operum

AH	= J. M. Dreves, Cl. Blume, H. M. Bannister, *Analecta hymnica*, voll. 1-55.
Ambr.	= Breviarium Ambrosianum, 1944.
Ben.	= Breviarium Monasticum Ord. S. Benedicti, 1940.
Berg.	= A. Prudentii Clem., *Carmina*, ed. I. Bergman, CSEL, n. 61, Vindobonae 1926.
Bir.	= L. Biraghi, *Inni sinceri e carmi di S. Ambrogio, vescovo di Milano*, Milano 1862.
Bulst	= W. Bulst, *Hymni Latini antiquissimi LXXV*, Heidelberg 1956.
Carm.	= Breviarium Fratrum... de Monte Carmelo, 1938.
Chev.	= U. Chevalier, *Repertorium hymnologicum*, voll. I-II.
Chev. Suppl.	= U. Chevalier, *Id.*, *Supplementum*, vol. III.
Chev., Poésie	= U. Chevalier, *Poésie liturgique traditionnelle de l'Eglise catholique en Occident*, Tournai 1894.
Cist.	= Breviarium Cisterciense, 1951.
CSEL	= *Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum*, Vindobonae.
Cunn.	= A. Prudentii Clem., *Carmina*, cura et studio M. P. Cunningham, *Corpus Christianorum*, n. 126, Turnhout 1966.
Duemmler	= E. Duemmler, MGH, *Poetae Latini aevi Carolini*.
Fraip.	= Bedae Ven., *Opera rhythmica*, ed. J. Fraipont, *Corpus Christianorum*, n. 122, Turnhout 1955.
Gautier	= Adam de Saint Victor, *Oeuvres poétiques*, ed. par L. Gautier, 3ª ed., Paris 1894.
Guéranger, Ann. lit.	= P. Guéranger, *L'année liturgique* (*Noël*, etc.), Paris 1875...
Huemer	= Sedulii, *Opera*, ex recens. I. Huemer, CSEL, n. 10, Vindobonae 1885.
Jah.	= J. M. Dreves - Cl. Blume, *Ein Jahrtausend lateinischer Hymnendichtung*, I-II, Leipzig 1909.
Jul.	= J. Iulian, *A dictionary of Hymnology*, London 1915.
Lausb.	= H. Lausberg, *Der Hymnus «Iesu dulcis memoria»* (Hymnologische u. hagiographische Studien, I), Muenchen 1967.
Leo	= V. H. C. Fortunati, *Opera poetica*, cur. F. Leo, MGH, *Auct. ant.*, IV, pars I.
Lokr.	= *L'opera poetica di Pier Damiani*, a cura di M. Lokranz, Stockholm 1964.
MGH	= *Monumenta Germaniae Historica*.
Mone	= F. J. Mone, *Hymni Latini medii aevi*, Freiburg in Br. 1853.
Morel	= P. G. Morel, *Lateinische Hymnen des Mittelalters*, Einsiedeln 1868.

Neale	=	J. M. NEALE, *Hymni ecclesiae e breviariis quibusdam et missalibus*, Oxford 1851.
Pell.	=	A. PRUDENZIO, *Inni della giornata*, a cura di M. PELLEGRINO, Ed. Paoline, Alba 1954.
PL	=	MIGNE, *Patrologia Latina*.
Pm.	=	Breviarium Praemonstratense, 1892.
Praed.	=	Breviarium Ordinis Praedicatorum, 1962.
Sim.	=	*Innologia ambrosiana*, a cura di M. SIMONETTI, Ed. Paoline, Alba 1956.
Szöv.	=	J. SZÖVÉRFFY, *Die Annalen der lateinischen Hymnendichtung*, Berlin, I, 1964; II, 1965.
Thes.	=	H. A. DANIEL, *Thesaurus hymnologicus*, Lipsiae 1855-62.
Vat.	=	Breviarium ... Basilicae Vaticanae, 1925.
Vogel	=	C. VOGEL, *L'hymnaire de Murbach contenu dans le manuscrit Iunius* 25, in *Archives de l'Eglise d'Alsace*, t. IX nouv. ser., 1958, pp. 1 ss.

RERUM

Abbreviationes non explicamus quae facillime intelleguntur, ut *typogr.*, *mythol.*, etc. Substantiva et adiectiva ponimus tantum casu nominativo; ceterae formae ex contextu patebunt.

In verbis saepissime litteras terminales *-imus* omisimus: ex. gr. *invert(imus)*, *contrax(imus)*, etc.

a.	=	auctor
ad brev.	=	ad brevitatem curandam
add.	=	addidimus
adiect.	=	adiectivum
adopt.	=	adoptavimus
adv.	=	adverte
brev.	=	breviarium
cett.	=	ceteri
cd., cdd.	=	codex, codices
Cp.	=	Completorium
doxol.	=	doxologia
ed., edd.	=	editor, editores, editiones
f.	=	festum
h.	=	hymnus
Hor.	=	Horae
l. c.	=	loco citato
Ld.	=	Laudes
lect.	=	lectio
metr.	=	metricus
ms., mss.	=	manu scriptum, m. scripta
mut.	=	mutavimus
Non.	=	Nona
O. lect.	=	Officium lectionis
om.	=	omisimus
omitt.	=	omittit, omittitur, etc.
orig.	=	originalis
pasch.	=	paschalis
perspic.	=	perspicuitas
p. rh.	=	propter rhythmum
rhythm.	=	rhythmicus
Sext.	=	Sexta
str.	=	stropha
subst.	=	substituimus
syll.	=	syllaba
Tert.	=	Tertia
v., vv.	=	versus
vocab.	=	vocabulum
Vp.	=	Vesperae

HYMNI HEBDOMADALES
IN PSALTERIO PER ANNUM

AD OFFICIUM LECTIONIS

O. lect. (*noct.*) - *I cycl.* - *Dominica* **1**

AD CHRISTUM

Primo dierum omnium,
quo mundus exstat conditus
vel quo resurgens Conditor
nos, morte victa, liberat,

5 Pulsis procul torporibus,
surgamus omnes ocius
et nocte quaeramus pium,
sicut Prophetam novimus,

9 Nostras preces ut audiat
suamque dextram porrigat,
et expiatos [1] sordibus,
reddat polorum sedibus,

13 Ut, quique sacratissimo
huius diei tempore
horis quietis psallimus,
donis beatis muneret.

17 Iam nunc, paterna claritas,
te postulamus affatim:
absit libido sordidans
omnisque actus noxius,

21 Ne foeda sit vel lubrica
compago nostri corporis,
per quam inferni [2] ignibus
ipsi crememur acrius.

25 Ob hoc, Redemptor, quaesumus
ut probra nostra diluas;
vitae perennis commoda
nobis benignus conferas [3].

29 Sit, Christe (IX).

Auctor ignotus – Saec. VII-VIII – Metricus

Chev. 15450; Jul. 912; Szöv. I, 431; II, 452 *(Primo die quo Trinitas)* – Thes. I, 175; PL, LXXVIII, 849; AH, LI, 24 – Brevv.: Ben., Carm., Pm., Vat.

[1] *hic piatos* AH.

[2] *averni* orig.; quod mythologiam redolet.

[3] Sequitur in edd. et Brevv. str.: *Quo carnis actu exsules / effecti ipsi caelibes, / ut praestolamur cernui, / melos canamus gloriae*, quae videtur posterius addita, cum sit rhythmica contra cett. metricas; insuper theologice non satis perspicua, propter incertam significationem illius *caelibes*; si vero maneret, inutilis esset alia doxol.

O. lect. (*noct.*) - *I cycl.* - *Fer. II* **2**

AD DEUM

Somno refectis artubus,
spreto cubili, surgimus:
nobis, Pater, canentibus
adesse te deposcimus.

5 Te lingua primum concinat,
te mentis ardor ambiat,
ut actuum sequentium
tu, sancte, sis exordium.

9 Cedant tenébrae lumini
et nox diurno sideri,
ut culpa, quam nox intulit,
lucis labescat[1] munere.

13 Precamur îdem supplices
noxas ut omnes amputes,
et ore te canentium
lauderis in perpetuum[2].

17 Praesta, Pater (I).

A. ignotus – Saec. VII-VIII – Metr.

Chev. 19210; Jul. 1067; Szöv. I, 433; II, 453 – Thes. I, 26; PL, XVI, 1475; AH, LI, 27 – Brevv.: Ben., Carm., Pm., Vat.

[1] *labascat* Thes., Brevv.
[2] Ita orig., cum licentia *-pe-* brevis.

O. lect. (*noct.*) - *I cycl.* - *Fer. III* **3**

AD CHRISTUM

Consors paterni luminis,
lux ipse lucis et dies,
noctem canendo rumpimus:
assiste postulantibus.

5 Aufer tenébras mentium,
fuga catervas daemonum,
expelle somnolentiam
ne pigritantes obruat.

9 Sic, Christe, nobis omnibus
indulgeas credentibus,
ut prosit exorantibus
quod praecinentes psallimus.

13 Sit, Christe (IX).

A. ignotus – Saec. VII-VIII – Metr.

Chev. 3830; Jul. 261; Szöv. I, 424; II, 464 – Thes. I, 27; PL, XVI, 1476; AH, LI, 28 – Brevv.: Ben., Carm., Pm., Vat.

O. lect. (*noct.*) - *I cycl.* - *Fer. IV* 4

AD CHRISTUM

Rerum creator optime
rectorque noster, respice;
nos a quiete noxia
mersos sopore libera [1].

5 Te, sancte Christe, poscimus;
ignosce tu criminibus,
ad confitendum surgimus
morasque noctis rumpimus.

9 Mentes manusque tollimus,
Propheta sicut noctibus
nobis gerendum praecipit
Paulusque gestis censuit.

13 Vides malum quod gessimus;
occulta nostra pandimus,
preces gementes fundimus;
dimitte quod peccavimus.

17 Sit, Christe (IX).

A. ignotus – Saec. VII-VIII – Metr.

Chev. 17322; Jul. 956; Szöv. I, 432; II, 452 – Thes. I, 53; PL, XVII, 1186; AH, LI, 28 – Brevv.: Ben., Carm., Pm., Vat.

[1] Haec str. referri videtur ad Patrem; attributa tamen dici possunt etiam de Christo, ad quem cett. vv. diriguntur; ideo doxol. erga Christum.

O. lect. (*noct.*) - *I cycl.* - *Fer. V* 5

AD CHRISTUM

Nox atra rerum contegit
terrae colores omnium:
nos confitentes poscimus
te, iuste iudex cordium,

5 Ut auferas piacula
sordesque mentis abluas,
donesque, Christe, gratiam
ut arceantur crimina.

9 Mens, ecce, torpet impia,
quam culpa mordet noxia;
obscura gestit tollere
et te, Redemptor, quaerere.

13 Repelle tu caliginem
intrinsecus quam maxime,
ut in beato gaudeat
se collocari lumine.

17 Sit, Christe (IX).

A. ignotus – Saec. VII-VIII – Metr.

Chev. 12396; Jul. 820; Szöv. I, 429; II, 452 – Thes. I, 54; PL, XVII, 1187; AH, LI, 29 – Brevv.: Ben., Carm., Pm., Vat.

AD TRINITATEM

Tu, Trinitatis Unitas,
orbem potenter qui regis,
attende laudum cantica
quae excubantes psallimus.

Nam [1] lectulo consurgimus
noctis quieto tempore,
ut flagitemus vulnerum
a te medelam omnium [2],

Quo, fraude quicquid daemonum
in noctibus deliquimus,
abstergat illud caelitus
tuae potestas gloriae;

Ne corpus adsit sordidum,
nec torpor instet cordium
et [3] criminis contagio
tepescat ardor spiritus.

Te corde puro quaesumus [4],
reple tuo nos lumine,
per quod dierum circulis
nullis ruamus actibus.

Praesta, Pater (I).

A. ignotus – Saec. VII-VIII – Metr.

Chev. 20713; Jul. 1187; Szöv. I, 434; II, 454 – Thes. I, 35; PL, XVII, 1177; AH, LI, 29 – Brevv.: Ben., Carm., Pm., Vat.

[1] *Iam* Thes.

[2] Ita Thes., AH, Brevv.; sine elisione (cf. etiam n. 35, v. 12; etc.).

[3] Ita AH; cett. *nec.*

[4] *Ob hoc, Redemptor, quaesumus* edd. et Brevv.; quo v. haec finalis oratio directa in Christum, fortasse additicia, videtur laedere unitatem compositionis; unde subst. v. cit. a Blume (AH, LI, 30) *te puro corde quaesumus,* levi inversione inducta propter metrum.

Ad Trinitatem

Summae Deus clementiae
mundique factor machinae,
unus potentialiter
trinusque personaliter,

5 Nostros piis[1] cum canticis
fletus benigne suscipe,
quo corde puro sordibus
te perfruamur largius.

9 Lumbos iecurque morbidum
adure igni congruo,
accincta[2] ut sint perpetim
luxu remoto pessimo,

13 Ut, quique horas noctium
nunc concinendo rumpimus,
donis beatae patriae
ditemur omnes affatim.

17 Praesta, Pater (1).

A. ignotus – Saec. VII-VIII – Metr.

Chev. 19636; Jul. 1101; Szöv. I, 433; II, 483 *(Summae Parens cl.)* – Thes. I, 34; PL, XVII, 1177; AH, LI, 30 – Brevv.: Ben., Carm., Pm., Vat.

[1] *pius* edd.; *piis* Carm.; ita praetulimus, cum *pius* idem fere dicat quod seq. *benigne.*

[2] Lectionem orig., licet non mss. probatam, censemus fuisse hanc, quae servat metrum; *accincti* edd. et Brevv.

Ad Deum

Mediae noctis tempus est;
prophetica vox admonet
dicamus laudes ut Deo
Patri semper ac Filio,

5 Sancto quoque Spiritui:
perfecta enim Trinitas
uniusque substantiae
laudanda nobis semper est.

9 Terrorem tempus hoc habet,
quo, cum vastator Angelus
Aegypto mortem intulit,
delevit primogenita.

13 Haec iustis hora salus est,
quos ibidem [1] tunc Angelus
ausus punire [2] non erat,
signum formidans sanguinis.

17 Aegyptus flebat fortiter
tantorum diro funere [3];
solus gaudebat Israel
agni protectus sanguine.

21 Nos verus [4] Israel sumus:
laetamur in te, Domine,
hostem spernentes et malum,
Christi defensi sanguine.

25 Dignos nos fac, rex hagie,
futuri regni gloria,
ut mereamur laudibus
aeternis te concinere [5]. Amen.

A. ignotus – Saec. V – Rhythm.

Hunc h. memorat *Regula Caesarii* (saec. VI): cf. Bulst, 164; iuxta antiquam traditionem, propter eius indolem paschalem, dies dominica ei convenit.

Chev. 11420; Jul. 721; Szöv. I, 429 – Thes. I, 42; PL, XVII, 1179; AH, LI, 3; Bulst. 91; Vogel, 25. Integer h. asservatur in Antiph. Benchoriensi, a. 680-691 (ed. Franceschini, Padova 1941, p. 25-27). Hic habentur str. 1-6.

[1] Ita Thes. cum quibusdam mss.; *quos idem* Bulst; *et quos idem* AH, Franceschini: durior constructio et sensus.

[2] *puniri* Bulst, Franceschini (Ant. Bench., in quo saepe invenitur *i* pro *e*).

[3] Ita Bulst, Franceschini; *dira funera* cett.

[4] Ita Thes., quae propter sensum videtur lectio orig., etsi cett. habent *vero*.

[5] Est ultima str. hymni (cf. h. seq.), quae, cum habeat indolem doxologicam, etiam hic aptari potest.

AD DEUM

Ipsum nunc nobis [1] tempus est
quo voce evangelica
venturus sponsus creditur,
regni caelestis conditor.

Occurrunt sanctae virgines
obviam tunc adventui,
gestantes claras lampadas,
magno laetantes gaudio.

Stultae vero quae remanent [2],
extinctas habent lampadas,
frustra pulsantes ianuam,
clausa iam regni regia.

Nunc vigilemus [3] sobrii
gestantes mentes splendidas,
ut venienti Domino [4]
digni curramus obviam.

Dignos nos fac [5], rex hagie,
futuri regni gloria,
ut mereamur laudibus
aeternis te concinere [6]. Amen.

Est alia pars h. praec. *Mediae noctis:* str. 7-10; 13-14.

[1] *nunc nobis*] *profecto* orig.; quod refertur ad praec. strophas; paululum mut. ad novam parandam introductionem.

[2] *Stultae vero remanent / quae...* Thes.; etsi, ut opinatur Blume (l. c.), romanice pronuntiabatur *a-e*, nunc tamen pronuntiamus *ae* (*e*), unde deficeret una syll. AH legit *stultae vero remanent, quae / extinctas*: quae lect. non veri similis omnino videtur. Tenuis transpositio nostra, cuiusdam quoque ms. lectione innixa, meliorem praebet constructionem et sensum.

[3] *Quare vigilemus* AH, Bulst, Franceschini; quod, licet metrice permissum, unam syll. addit; *pervigilemus* Thes.

[4] *advenienti ut Iesu* orig.; quod mut. ad meliorem rhythmum et rectius metrum.

[5] Fortasse melius *fac nos*.

[6] *aeternis ut mereamur / te laudibus concinere* orig.; ubi male sonat *mereamur* cum paenult. longa; unde verba ordine mut. Cum autem haec str. sit naturae doxologicae, nulla alia addenda videtur.

AD DEUM

Nocte surgentes vigilemus omnes,
semper in psalmis meditemur atque
viribus totis Domino canamus
dulciter hymnos,

5 Ut, pio regi pariter canentes,
cum suis sanctis mereamur aulam
ingredi caeli, simul et beatam
ducere vitam.

9 Praestet hoc nobis Deitas beata
Patris ac [1] Nati, pariterque Sancti
Spiritus, cuius resonat per omnem
gloria mundum [2].

A. ignotus – Aevo Carolino – Metr.

Chev. 12035; Jul. 809; Szöv. II, 452 – Thes. I, 176; PL, LXXVIII, 849; AH, LI, 26 – Brevv.: Ben., Carm., Cist., Pm., Praed., Vat.

[1] *et* AH, cum nimiis *t.*

[2] *reboatur omni gl. mundo* AH, quae videtur lectio orig.; *reboat per o.g.m.* Thes.; *reboat in omni g. mundo* fere omnia Brevv.; cum illud *reboare* hodie fortasse minus placeat, praetulimus *resonat* cum Brev. Rom. et Cist.

AD CHRISTUM

O sator rerum, reparator aevi,
Christe, rex regum, metuende censor,
tu preces nostras pariterque laudes
suscipe clemens [1].

5 Noctis en cursu tibi vota laudum
pangimus; praesta tibi sint ut apta,
nosque concentu refove perenni,
luminis auctor.

9 Da dies nobis probitate faustos
mortis ignaram tribuendo vitam,
semper ut nostros tua sit per actus
gloria perpes.

13 Ure cor nostrum, iecur atque lumbos
igne divino vigilesque nos fac,
semper ardentes manibus lucernas
ut teneamus.

17 Laus Redemptori (XIII).

A. ignotus – Saec. IX? – Metr.

In off. monast. saec. x; in Transfig. Dni, ad noct. – Str. 1, 2, 5, 6, 9. Mentio Transfig. in 3ª, quam om.

Chev. 13715; Jul. 847; Szöv. I, 430 – Thes. I, 267; Bibliotheca Casinensis, I, Floril. 238; AH, LI, 106.

[1] Ita Bibl. Casin.; *gratus* AH, minus apte de Deo.

Ad Christum

Christe, tu [1] Patris Patre teste Proles
tuque sanctorum decus angelorum,
tu salus mundi, via, vita, virtus
crederis esse.

Esto tu noster cibus atque potus,
tu labor, virtus, requies, amictus;
livor absistat, tumor, ira, luxus
maeror et omnis.

Lumen infundens tenebras repelle,
aufer infesti laqueos draconis [2],
vincla dissolvens scelerum, fer astra
scandere nobis [3].

Laus Redemptori (xiii).

Est alia pars praec. h. *O sator:* str. 4, 7-9.

[1] *Tu Dei* orig.; mut. ad indicandam, ipso initio, personam ad quam sermo dirigitur.
[2] *chelydri* orig.; subst. vocab. magis notum.
[3] Si *fer* non aptum videatur, possit haec mutatio fieri: *fac astra / nos penetremus.*

Ad Christum

Galli cantu mediante
noctis iam caliginem
et profundae noctis atram
levante formidinem,
Deus alme, te [1] rogamus
supplicesque poscimus.

Vigil, potens, lux venisti [2]
atque custos hominum,
dum tenerent simul cuncta
medium silentium
redderent necnon mortalem
mortui effigiem,

Excitares quo nos, Christe [3],
de somno malitiae,
redderesque nobis lucem
vitae semper comitem
atque gratis liberares
nocturno de carcere.

Honor Patri sit ac tibi
Sanctoque Spiritui [4],
Deo trino necnon uni
paci, vitae, lumini,
nomini nimirum dulci
divinoque numini.

Godeschalchus (Gottschalk) Fuldensis († 869) – *Rhythm.*

Duas str. om., quae aliquantulum sapiunt mythologiam et vocabula continent non solita (*confusibile*, *chasma*, etc.).

Szöv. I, 426 – AH, XLVI, 11.

[1] *te, Deus alme* edd.; invert. p. rh.

[2] *perennis* orig.; subst., ex omissa str. praec., ut textui sensus daretur.

[3] *quo nos excitares, Christe* edd.; p. rh. invert.

[4] *Gloria sit Deo Patri / Prolique Spiritui* edd.; mut. ut sermo continuaretur in Christum et corrigeretur illud *Prolique Spiritui.*

Ad Christum

Lux aeterna, lumen potens,
dies indeficiens,
debellator atrae noctis,
reparator luminis,
destructorque tenebrarum,
illustrator mentium:

Quo nascente suscitamur,
quo vocante surgimus;
quo a morte liberati,
quo sumus perlucidi;
mortis quo [1] victores facti,
noctis atque saeculi;

Faciente quo beati,
quo linquente miseri:
ergo nobis, rex aeterne,
lucem illam tribue,
quae fuscatur nulla nocte [2],
solo gaudens lumine.

Honor Patri (*ut n.* 13).

Est alia pars praec. h. *Galli cantu mediante*.

[1] *quo mortis* edd.; p. rh. invert.
[2] *quae nulla fuscatur nocte* edd.; p. rh. invert.

Ad Christum

Dies aetasque ceteris
octava splendet sanctior,
in te quam, Iesu, consecras,
primitiae surgentium.

Tu tibi nostras animas
nunc primo conresuscita;
tibi consurgant corpora
secunda morte libera.

Tibique mox in nubibus,
Christe, feramur obviam
tecum victuri perpetim:
tu vita, resurrectio.

Cuius videntes faciem,
configuremur gloriae;
te cognoscamus sicut es,
lux vera et suavitas [1].

Regnum, cum Patri traditos,
plenos septeno chrismate,
in temet nos laetificas,
consummet [2] sancta Trinitas [3].
Amen.

Tribuitur cuidam Aron – Ante saec. XII – Rhythm.

Est ultima pars cuiusdam cycli, in quo singulis hebdomadae diebus singula celebrantur dona Spiritus S.

Szöv. II, 19 – AH, LI, 105.

[1] *O vera lux et suavitas* orig.; mut., cum *sua–*, computatum ut unica syll. (licet rite iuxta veteres), durius sonet, praesertim in cantu.

[2] *consummes* AH; sed mentio *Patris* in 3^a persona et ipse tenor totius h. ad hoc inducunt, ut sermo etiam hic dirigatur ad Christum.

[3] Str. videtur clare doxologica, cum mentione *Patris* et *Spiritus S.* (*sept. chrismate*); unde inutilis alia doxol.

AD TRINITATEM

Pater, Fili, Paraclite,
mala vitae praeteritae
dimitte nobis, quaesumus,
nam sine te nil possumus.

5 Peccando nos polluimus;
ut expies deposcimus,
ne tuum domicilium
sit umquam cibus ignium.

9 Trinitas ineffabilis,
et lux inaccessibilis,
ure per ignem geminum
nostrarum sordes mentium.

13 Verum lumen ac splendidum,
cor tepens redde fervidum,
caecas mentes illuminans
et mortis umbras terminans.

17 Tibi virtus et gloria,
laus, decus et potentia,
qui tua nobis gratia
concedas [1] vitae gaudia.

A. ignotus – Saec. XIV? – Rhythm.

Chev. 14660 – Mone, I, 24; AH, XLVI, 17.

[1] *Tibi virtus... concedas*] *Trinitati sit gloria... qui sua... concedit* orig.; mut. ad servandum sermonem in Trinitatem.

Ad Christum

Aeterna sapientia,
per quam facta sunt omnia,
da sapere christicolis
nectar tuae dulcedinis.

Tu singillatim cordium
finxisti motus omnium [1],
quorum solus abscondita
intellegis consilia.

Tu angelus consilii
crederis antiquissimi,
in nobis quod [2] verifica
tua virtute provida.

Fortis, potens in proelio,
tu nostra sis munitio
adversus daemoniacas
et pugnas et [3] insidias.

Tibi, Redemptor [4], gloria,
honor, virtus, victoria,
regnanti super omnia
per saeculorum saecula.

A. ignotus – Saec. XIII-XIV? – Rhythm.

Szöv. II, 302 – AH, XLIII, 29 (Jah. II, 50).

[1] *certum numerum* orig.; qui conceptus non pulcher videtur; unde subst.
[2] *quod in nobis* orig.; invert. p. rh.
[3] *pugnas atque* orig.; mut. ad meliorem rh. et ad vitandum hiatum.
[4] *Sit Trinitati* edd.; mut. ut sermo continuaretur in Christum.

O. lect. (*diurn.*) - *I cycl.* - *Fer. IV* **18**

Ad Christum

Scientiarum Domino,
tibi sit iubilatio
in nostris cogitatibus
te, Christe, non latentibus.

5 Tu, bone pastor ovium,
servans iustum, quaerens reum,
in pascuis uberrimis
nos iunge piis gregibus[1],

9 Ne terror irae iudicis
nos haedis iungat reprobis[2],
sed simus temet iudice
oves aeternae[3] pascuae.

13 Tibi, Redemptor (*ut n.* 17).

Est alia pars praec. h. *Aeterna sapientia.*

[1] *gregibus piis* edd.; p. rh. invert.
[2] *foetidis* orig., quod non conveniens videtur; posset substitui aliud.
[3] *tuae* edd.; deesset una syll. (quod notat etiam AH).

O. lect. (*diurn.*) - *I cycl.* - *Fer. V* **19**

Ad Christum

Adesto, Christe, cordibus,
celsa[1] redemptis caritas;
infunde nostris fervidos
fletus, rogamus, vocibus.

5 Ad te preces, piissime
Iesu, fide profundimus;
dimitte, Christe, quaesumus,
factis malum quod fecimus.

9 Sanctae crucis signaculo,
tuo sacrato corpore,
defende nos ut filios,
omnes rogamus, undique.

13 Sit, Christe (IX).

Dubie tribuitur s. Bedae Ven. († 735) – *Metr.*

Chev. 35016; Szöv. I, 421 – AH, L, 114; Fraip. 416.

[1] Lect. suspecta, cum *–a* brevi, in carmine metrico.

Ad Christum

Hostis antiqui, Domine,
per crucem vires conteris [1],
qua nos signati frontibus
signum gestamus fidei [2].

5 Illum a nobis iugiter
repellere dignaveris,
ne umquam possit laedere
redemptos tuo sanguine.

9 Qui propter nos ad inferos
descendere dignatus es,
ut mortis debitoribus
vitae donares merita,

13 Christe, nostrorum pectorum
solus investigator es;
tu vulnerum latentium
bonus assistis medicus.

17 Tu es qui certo tempore
daturus finem saeculi,
universorum [3] meritis
iustus remunerator es.

21 Te ergo, sancte, quaesumus,
ut nostra cures vulnera,
qui es cum Patre, Filius,
semper cum Sancto Spiritu.

A. ignotus – Saec. V-VI – Rhythm.

Str. (9-11; 14-16) sumptae sunt ex 2ª parte h. *O rex aeterne Domine*, de quo mentionem faciunt Regg. Caesarii et Aureliani (saec. VI), quique adhibetur t. Pasch. ad O. lect. (n. 103).

Chev. 17393; Jul. 957b; Szöv. II, 453 – Thes. I, 85; PL, XVII, 1206; AH, LI, 5.

[1] *Hostis... conteris*] *Tu hostis antiqui vires / per crucem mortis conterens* orig.; mut. p. rh. et ad inducendam novam introductionem in hac 2ª parte hymni.

[2] *vexillum fidei ferimus* orig.; mut. ad eiciendam unam syll.

[3] *Tu cunctorum* edd.: deesset una syll.

Ad Christum

Auctor perennis gloriae,
qui septiformis gratiae
das Spiritum credentibus,
assiste mitis omnibus.

5 Expelle morbos corporum,
mentis repelle scandalum,
exscinde vires criminum,
fuga dolores cordium.

9 Serenas mentes effice,
opus honestum perfice,
preces orantum accipe,
vitam perennem tribue [1].

13 Septem dierum cursibus
nunc tempus omne ducitur;
octavus ille ultimus
dies erit iudicii,

17 In quo, Redemptor, quaesumus,
ne nos in ira arguas,
sed a sinistra libera,
ad dexteram nos colloca:

21 Ut, vota cum [2] susceperis
clemens tuarum plebium,
reddamus omnes gloriam
trino Deo per saecula.

A. ignotus – *Saec. incerto* – *Metr.* (cum aliqua licentia).

In hymnario Gothico str. 1, 2, 6 pertinent ad h. de septima hora; 4 et 5 de octava; 3 de nona; ex his tribus conflatus est h., quem habet Hymnarius Severinianus, e quo sumptae sunt str. 1, 2, 8, 5, 6, 3; ordinem mut., ut sententiae melius procederent; 4^am^ et 7^am^, fere inutiles, om. ad brev.

Chev. 1438 – Neale, 14; Thes. IV, 44; PL, LXXXVI, 937; AH, XIV, 40.

[1] Haec str., et 7^a^ quam om., nimis a metro abhorrent, secus ac ceterae.
[2] *cum preces* orig.; mut. ne repeteretur quod dictum est v. 11.

Exaltatio Resurrectionis Domini

Salve, dies, dierum gloria,
dies felix Christi victoria,
dies digna iugi laetitia,
dies prima!

Lux divina caecis irradiat,
in qua Christus infernum spoliat,
mortem vincit et reconciliat
summis ima.

Sempiterni regis sententia
sub peccato conclusit omnia;
ut infirmis superna gratia
subveniret,

Dei virtus et sapientia
temperavit iram clementia,
cum iam mundus in praecipitia
totus iret.

Resurrexit liber ab inferis
restaurator humani generis,
ovem suam reportans humeris
ad superna.

Angelorum pax fit et hominum,
plenitudo succrescit ordinum,
triumphantem laus decet Dominum,
laus aeterna.

Harmoníae caelestis patriae
vox concordet matris Ecclesiae,
Alleluia frequentet hodie
plebs fidelis.

Triumphato mortis imperio,
triumphali fruamur gaudio;
in terra pax, et iubilatio
sit in caelis.

Ascribitur Adamo de S. Victore († post 1150) – *Rhythm.*

Str. 1-4; 9-12.

Chev. 17897; Szöv. II, 480 – Gautier, 34; Jah. I, 264; AH, LIV, 222.

Ad Christum

Vita sanctorum, via, spes salusque,
Christe, largitor probitatis atque
conditor pacis, tibi voce, sensu
pangimus hymnum:

5 Cuius est virtus manifesta totum
quod pii possunt, quod habent, quod ore,
corde vel factis cupiunt, amoris
igne flagrantes.

9 Temporum pacem, fidei tenorem,
languidis curam veniamque lapsis,
omnibus praesta pariter beatae
munera vitae.

13 Hoc Patris Proles, Pater hoc benigne,
Spiritus praesens hoc utrique compar,
nunc et aeterno facias perennis
tempore saecli.

Walahfridus Strabo († 849) – *Metr.*

Sunt str. 1, 2, 7, 10 h. in hon. S. Galli.

Chev. 21979; Szöv. I, 434 – Thes. IV, 141; PL, LXXXVII, 49; Duemmler, II, 411; AH, L, 171.

Ad Deum

Ad preces nostras deitatis aures [1],
Deus, inclina pietate sola;
supplicum vota suscipe, precamur
famuli tui.

5 Respice clemens solio de sancto
vultu sereno, lampadas illustra
olei nostri [2], tenebras depelle
pectore cunctas [3].

9 Crimina laxa pietate multa,
ablue sordes, vincula disrumpe,
parce peccatis, releva iacentes
dextera tua.

13 Te sine, taetro mergimur profundo,
labimur alta sceleris sub unda;
brachio tuo trahimur ad clara
sidera caeli.

17 Gloria Deo sit aeterno Patri,
sit tibi semper, Genitoris Nate,
cum quo aequalis Spiritus per cuncta
saecula regnat.

A. ignotus – In cdd. saec. X – Rhythm.

Chev. 1612; Szöv. I, 423 – Thes. IV, 262; AH, LI, 61 – Brev. Carm.

[1] Ita Carm., iuxta cod. U; quam lect., perspicuitatis gratia, sumpsimus loco orig.: *Aures ad nostras deitatis preces.*

[2] *lumine tuo* orig.; qua lect. non bene intellegitur illud *lampadas*; ita mut. ut conceptus referretur ad parabolam de 10 virginibus.

[3] *nostro* orig.; quod mut. propter praec. *nostri* nunc invectum.

Ad Christum

Christe, lux vera, bonitas et vita,
gaudium mundi, pietas immensa,
qui nos a morte roseo salvasti
sanguine tuo,

5 Insere tuum, petimus, amorem
mentibus nostris, fidei refunde
lumen aeternum, caritatis auge
dilectionem.

9 Tu nobis dona fontem lacrimarum,
ieiuniorum fortia ministra,
vitia carnis plurima [1] retunde
framea tua.

13 Procul a nobis perfidus absistat
Satan, a tuis viribus confractus;
Sanctus assistat Spiritus, a tua
sede demissus [2].

17 Gloria Deo (*ut n.* 24).

Est 2ª pars praec. h. *Ad preces nostras.*

[1] *milia* orig.; quod videtur exaggeratum. An mutandum *animique tunde* (*frange*, *caedas*, *rumpe*, *dele*)?

[2] Ita Carm.; *dimissus* AH, ubi tamen notatur lectio cod. A *demissus*: « vielleicht das Richtige ». Ceterum nota est haec antiquorum confusio inter *di–* et *de–*.

AD DEUM

Amoris[1] sensus erige
ad te, largitor veniae,
ut fias clemens cordibus
purgatis inde sordibus.

5 Externi huc advenimus
et exsules ingemimus[2];
tu portus es et patria,
ad vitae duc nos atria.

9 Felix quae sitit caritas
te fontem vit*ae*, o[3] veritas;
beati valde oculi
te speculantis populi.

13 Grandis est tibi gloria
tuae laudis memoria,
quam sine fine celebrant
qui cor ab imis elevant.

17 Praesta, Pater (1).

A. ignotus – Saltem saec. X – Rhythm., abecedarius

Om. str. 2-4; 8.

Chev. 1018 – Mone, I, 97; Thes. IV, 261; AH, LI, 72.

[1] *Amorem* edd., sensu non perspicuo; etiam Mone notaverat « *amoris sensum* wäre besser » (de quo tamen Thes. dubitare videtur).

[2] *in exsilio gemimus* edd.; mut. p. rh.

[3] Add. particulam vocativam ad perspic.

Ad Christum

Salva, Redemptor, plasma tuum nobile,
signatum sancto vultus tui lumine,
ne lacerari sinas fraude daemonum,
propter quod mortis exsolvisti pretium.

Dole captivos esse tuos servulos,
absolve reos, compeditos erige,
et quos cruore redemisti proprio,
rex bone, tecum fac gaudere perpetim.

Sit tibi, Iesu, benedicte Domine,
gloria, virtus, honor et imperium,
una cum Patre Sanctoque Paraclito,
cum quibus regnas Deus ante saecula.

A. ignotus – Saltem saec. X – Rhythm.

Sunt str. 2, 3, 4 hymni, qui adhibebatur in hon. Apostolorum, inserta pro unoquoque eorum etiam stropha propria; om. str. 1am, quae ad eos refertur et ad alios referri potest: *Adnue, Christe, saeculorum Domine, / nobis per horum tibi cara merita, / ut qui te coram graviter deliquimus, / horum solvamur gloriosis precibus.*

Chev. 1149-50 – AH, LI, 121; Chev., Poésie, 110.

Ad Trinitatem

Deus de nullo veniens,
Deus de Deo prodiens,
Deus ab his progrediens,
in nos veni subveniens.

5 Tu nostrum desiderium,
tu sis amor et gaudium;
in te nostra cupiditas
et sit in te iucunditas.

9 Pater, cunctorum Domine,
cum Genito de Virgine,
intus et in circuitu
nos rege Sancto Spiritu [1].

13 Memento, sancta Trinitas,
quod tua fecit bonitas,
creando prius hominem,
recreando per sanguinem.

17 Nam quos creavit unitas,
redemit Christi caritas;
patiendo tunc diligens,
nunc diligat nos eligens.

21 Triadi sanctae [2] gaudium,
pax, virtus et imperium,
decus, omnipotentia,
laus, honor, reverentia.

A. ignotus – Saltem saec. XIV – Rhythm.

Chev. 4430 – AH, XLVI, 19 (Jah. II, 194).

[1] Om. 4^{am} str.: *Regendo clemens corrige / et corrigendo dirige, / diligendo nos eligas / et cum electis colligas,* quae nimium ludit verbis et praevenit conceptus paenult. str.
[2] *Trinitati sit* edd.; mut. p. rh.

AD LAUDES

Ld. - *I cycl.* - *Dominica* **29**

AD DEUM ET AD CHRISTUM

Aeterne rerum conditor,
noctem diemque qui regis,
et temporum das tempora
ut alleves fastidium,

5 Praeco diei iam sonat,
noctis profundae pervigil,
nocturna lux viantibus
a [1] nocte noctem segregans.

9 Hoc excitatus lucifer
solvit polum caligine;
hoc omnis erronum [2] chorus [3]
vias [4] nocendi deserit.

13 Hoc nauta vires colligit
pontique mitescunt freta;
hoc, ipse [5] Petra Ecclesiae,
canente, culpam diluit.

17 Surgamus ergo strenue:
gallus iacentes excitat
et somnolentos increpat;
gallus negantes arguit.

21 Gallo canente, spes redit,
aegris salus refunditur,
mucro latronis conditur,
lapsis fides revertitur.

25 Iesu, labantes [6] respice
et nos videndo corrige;
si respicis, lapsus cadunt [7]
fletuque culpa solvitur.

29 Tu, lux, refulge sensibus
mentisque somnum discute;
te nostra vox primum sonet
et vota [8] solvamus [9] tibi.

33 Deo Patri (VIII) [10].

S. Ambrosius († 397) – *Metr.*

Chev. 647; Jul. 26; Szöv. I, 421; II, 449 – Thes. I, 15; PL, XVI, 1473; Bir. 108; AH, L, 11; Bulst, 39; Sim. 20 – Brevv.: Ambr., Ben., Carm., Cist., Pm., Vat.

[1] *ac* Thes.

[2] *errorum* Thes., Bulst.

[3] *cohors* Ben., Carm., Cist., Pm.

[4] *viam* Thes., Ben., Carm., Cist.

[5] Ita, cum plerisque cdd., Bir., AH, Bulst, Sim., Vat.; audax locutio contracta = « Ille ipse qui est Petra Ecclesiae »; cett. *ipsa*: forma facilior, sed magis suspecta.

[6] Ita Thes., Bir., Bulst, Sim., Ambr., Cist., certe rectius in Ambrosio qui metrum servat; cett. *labentes*, cum mendoso *la*– longo.

[7] Ita Bir., AH, Bulst, Sim., Vat.; *lapsi stabunt* Thes., Ben., Pm.; *labes cadunt* Ambr., Carm., Cist. (cum Brev. Rom.).

[8] *ora* AH, Sim., Ambr., Vat.; *vota* Bulst, Ben., Carm., Cist., Pm., et rectius, ut videtur, cum de *ore* seu *voce* iam in v. praec. sermo sit; *ore* Thes.

[9] *psallamus* Thes.

[10] Nulla doxol. ab Ambrosio apposita est; cum postremae str. sint in Christum, congruum videtur ut in ipsum sermo prosequatur.

Ad Trinitatem

Splendor paternae gloriae,
de luce lucem proferens,
lux lucis et fons luminis,
diem dies [1] illuminans,

5 Verusque sol, illabere
micans nitore perpeti,
iubarque Sancti Spiritus
infunde nostris sensibus.

9 Votis vocemus et [2] Patrem,
Patrem perennis gloriae,
Patrem potentis gratiae,
culpam relégat lubricam.

13 Informet [3] actus strenuos,
dentem retundat invidi,
casus secundet asperos,
donet gerendi gratiam.

17 Mentem gubernet et regat
casto, fideli corpore;
fides calore ferveat,
fraudis venena nesciat.

21 Christusque nobis [4] sit cibus,
potusque noster sit fides;
laeti bibamus sobriam
ebrietatem Spiritus.

25 Laetus dies hic transeat;
pudor sit ut diluculum,
fides velut meridies,
crepusculum mens nesciat.

29 Aurora cursus provehit;
Aurora [5] totus prodeat,
in Patre totus Filius
et totus in Verbo Pater [6].

Amen.

S. Ambrosius – *Metr.*

Chev. 19349; Jul. 1080; Szöv. I, 433; II, 482 – Thes. I, 24; PL, XVI, 1475; Bir. 113; AH, L, 11; Bulst, 40; Sim. 24 – Brevv.: Ambr., Ben., Carm., Cist., Pm., Vat.

[1] *dies dierum* Bulst.
[2] *te* Thes.
[3] *confirmet* Ben., Cist., Pm.
[4] *noster* AH, lapsu calami, ut notat Bulst.
[5] Ita maiuscula initiali distinximus sensum praedicativum: « is qui totus est aurora ».
[6] Haec str., certe doxologica, reicit aliam doxol.

Ad Christum

Ales diei nuntius
lucem propinquam praecinit;
nos excitator mentium
iam Christus ad vitam vocat.

5 « Auferte – clamat – lectulos
aegros, soporos, desides [1] ;
castique, rect*i* ac sobrii [2]
vigilate; iam sum proximus ».

9 Ut [3], cum coruscis flatibus
aurora caelum sparserit,
omnes labor*e* exercitos
confirmet ad spem luminis,

13 Iesum ciamus vocibus
flentes, precantes, sobrii;
intenta supplicatio
dormire cor mundum vetat.

17 Tu, Christe, somnum dissice,
tu rumpe noctis vincula,
tu solve peccatum vetus
novumque lumen ingere.

21 Sit, Christe (IX).

Prudentius († 405 c.) – *Metr.*

Cath., I, 1-8; 21-24; 81-84; 97-100.

Chev. 795; Jul. 38; Szöv. I, 421; II, 459 – Thes. I, 119; PL, LIX, 775; AH, L, 23; Berg. 5; Pell. 32; Cunn. 3 – Brevv.: Ben., Carm., Pm., Vat.

[1] Ita Thes., AH, Berg., Pell., Vat.; quae lectio convenit stilo Prudentii (cf. hoc ipso carmine v. 18 *stratisque segnibus*); *aegro sopore desides* Ben., Carm., Pm.; nonnulli tamen cdd., inter quos Casinenses optimae notae 506 atque 559 saec. XI, *aegros sopore d.*, et cum *aegros* irrepere potuisset ex diptographia consonantis *s*, admittere licet etiam lect. Brevv. *aegro sopore d.*

[2] *casteque recte ac sobrie* Carm.; ita etiam cdd. Casin. 506, 559.

[3] Hanc str. tam pulchram noluimus omittere.

Ad Christum

Nox et tenébr*ae* et nubila,
confusa mundi et turbida,
lux intrat, albescit polus:
Christus venit; discedite.

5 Caligo terrae scinditur
percussa solis spiculo,
rebusque iam color redit
vultu nitentis sideris.

9 Sic [1] nostra mox obscuritas
fraudisque pectus conscium,
ruptis retectum nubibus,
regnante pallescet Deo.

13 Te, Christe, solum novimus,
te mente pur*a* et simplici
rogare curvato genu
flend*o* et canendo discimus [2].

17 Intende nostris sensibus
vitamque totam dispice:
sunt multa fucis illita
quae luce purgentur tua [3].

21 Sit, Christe (IX).

Prudentius – Metr.

Cath., II, 2-12; 48-49; 51-52; 57-60.

Hoc textu, exstructo iuxta optimam peritorum suggestionem, centonizatio attenuatur; complures pulchri versus admittuntur; omnis mutatio verborum aufertur; quidam versus difficiliores vitantur.

Chev. 12402; Jul. 820; Szöv. I, 429; II, 452 – Thes. I, 120; PL, LIX, 785; AH, L, 23; Berg. 9; Pell. 42; Cunn. 7 – Brevv.: Ben., Carm., Pm., Vat.

[1] Haec pulchra str. nunc primum introducitur.

[2] *quaesumus* hucusque in Brevv., mutatum propter omissum v. « rogare c. g. ».

[3] Restituta hac str. ad lect. orig., vitantur vv. 67-68: *tu, rex, Eoi sideris / vultu sereno illumina,* qui multis difficultatem praebent.

AD DEUM

Sol ecce surgit igneus[1]:
piget, pudescit, paenitet,
nec teste quisquam lumine
peccare constanter potest.

5 Tandem facessat caecitas,
quae nosmet in praeceps diu
lapsos sinistris gressibus
errore traxit devio[2].

9 Haec lux serenum conferat
purosque nos praestet sibi;
nihil loquamur subdolum,
volvamus obscurum nihil.

13 Sic tota decurrat dies,
ne lingua mendax, ne manus
*ocu*live peccent lubrici,
ne noxa corpus inquinet.

17 *Specu*lator astat desuper,
qui nos diebus omnibus
actusque nostros prospicit
a luce prim*a* in vesperum.

21 Deo Patri (IV).

Prudentius – Metr.

Cath., II, 25-28; 93-108.

Etiam hoc textu, iuxta aptissimam peritorum propositionem composito, lectio orig. integre servatur et complures optimi vv. inducuntur.

Chev. 10810 (10811); Jul. 820; Szöv. I, 429; II, 473 (*Lux ecce s. a.*) – Thes. I, 121; PL, LIX, 787; AH, L, 24; Berg. 10; Pell. 44; Cunn. 7 – Brevv.: Ben., Carm., Pm., Vat.

[1] In Brevv. *Lux ecce surgit aurea*, fortasse ita mutatum ut *aurea* magis responderet luci *aurorae;* ad hanc lect. attendendum pro indicationibus bibliographicis.

[2] Nemo negabit quosdam ex iis vv. male hucusque defuisse.

Ad Christum

*A*eterna caeli gloria,
*b*eata spes mortalium,
*c*elsi Parentis [1] Unice
*c*astaeque proles Virginis,

5 *D*a dexteram surgentibus,
*e*xsurgat et mens sobria
*f*lagrans et [2] in laudem Dei
*g*rates rependat debitas.

9 (*H*) Ortus refulget lucifer
*i*psamque [3] lucem nuntiat,
(*k*)cadit caligo noctium,
*l*ux sancta nos illuminet,

13 *M*anensque nostris sensibus
*n*octem repellat saeculi,
*o*mnique fine temporis [4]
*p*urgata servet pectora.

17 *Q*uaesita iam primum fides
*r*adicet altis sensibus;
*s*ecunda spes congaudeat;
*t*unc [5] maior exstat caritas.

21 Sit, Christe (IX).

A. ignotus – Saec. VII-VIII – Metr.; abecedarius

Chev. 609; Jul. 25; Szöv. I, 421, II, 449 – Thes. I, 55; PL, XVII, 1187; AH, LI, 32 – Brevv.: Ben., Carm., Pm., Vat.

[1] *tonantis* orig.; quod, ita absolute dictum, videtur sapere mythologiam.

[2] *flagransque* Thes., AH, Carm., Vat.; ad vitandum hiatum et durum sonum, Brevv. correxerunt ut in textu.

[3] *sparsamque* Thes., Ben., Carm., Pm., certe mendose in abecedario.

[4] *diei* omnes; mendosis tamen metro et rhythmo, sumps. lect. e Brev. Rom.

[5] Ita AH, Vat., recte iuxta ordinem abecedarium; *quo* Thes.; *qua* Ben., Carm., Pm.

Ld. - *I cycl.* - *Sabb.* **35**

Adhortatio et desiderium

Aurora iam spargit polum,
terris dies illabitur,
lucis resultat spiculum:
discedat omne lubricum.

5 Phantasma noctis decidat,
mentis reatus subruat,
quicquid tenébris horrida [1]
nox attulit culpae, cadat,

9 Ut [2] mane illud ultimum,
quod praestolamur cernui,
in luce [3] nobis effluat,
dum hoc [4] canore concrepat.

13 Deo Patri (iv).

A. ignotus – Saec. VII-VIII – Metr.

Chev. 1633; Jul. 93; Szöv. I, 423; II, 460 – Thes. I, 56; PL, XVII, 1187; AH, LI, 34 – Brevv.: Ben., Carm., Pm., Vat.

[1] Ita AH, Vat., servata assonantia cum v. seq.; cett. *horridum.*

[2] *et* Ben., Carm., Pm.

[3] Ita AH; cett. *lucem,* prave in h. metrico; licentia tertiae longae in v. praec. *praestolamur* explicatur ex eo quod fere certo legebant *praéstolor.*

[4] Sine elisione; Thes. cum Brev. Rom. *hoc dum.*

Ld. - *II cycl.* - *Dominica* **36**

Ad Deum

Ecce iam noctis tenuatur umbra,
lucis aurora rutilans coruscat:
nisibus totis rogitemus omnes
cunctipotentem,

5 Ut Deus, nostri [1] miseratus, omnem
pellat languorem, tribuat salutem,
donet et patris pietate nobis [2]
regna polorum.

9 Praestet hoc nobis (ii).

A. ignotus – Aevo Carolino – Metr.

Chev. 5129; Jul. 320; Szöv. II, 466 – Thes. I, 177; PL, LXXVIII, 849; AH, LI, 31 – Brevv.: Ben., Carm., Cist., Pm., Praed., Vat.

[1] *noster* Thes., Praed.

[2] Ita AH; cett. *nobis pietate patris;* adv. *patris* sumendum esse sensu adiectivali, scil. = *paterna, patre digna.*

Ad Christum

Lucis largitor splendide,
cuius sereno lumine
post lapsa noctis tempora
dies refusus panditur,

5 Tu verus mundi lucifer,
non is qui parvi sideris
venturae lucis nuntius
angusto fulget lumine,

9 Sed toto sole clarior,
lux ipse totus et dies,
interna nostri pectoris
illuminans praecordia.

13 Adesto, rerum conditor,
paternae lucis gloria,
cuius amota gratia
nostra pavescunt corpora,

17 Tuoque plena Spiritu,
secum Deum gestantia,
nil [1] rapientis perfidi
diris patescant [2] fraudibus,

21 Ut inter actus saeculi,
vitae quos usus exigit,
omni carentes crimine
tuis vivamus legibus.

25 Probrosas mentis castitas
carnis vincat libidines,
sanctumque puri corporis
delubrum servet Spiritus.

29 Haec spes precantis animae,
haec sunt votiva munera,
ut matutina nobis sit
lux in noctis custodiam.

33 Sit, Christe (ix).

A. ignotus – In cdd. saec. IX – Rhythm.

Chev. 10701 – Thes. I, 1; PL, X, 551; AH, LI, 9; Sim. 86 – In AH et alibi assignatur fer. II.

[1] *ne* Thes.
[2] Ita Thes; *pateant* AH, Sim., duriore rhythmo.

Ad Deum

Aeterne lucis conditor,
lux ipse totus et dies,
noctem nec ullam sentiens
natura lucis perpeti[1],

5 Iam cedit pallens proximo
diei nox adventui,
obtundens[2] lumen siderum
adest et clarus lucifer.

9 Iam stratis[3] laeti surgimus
grates canentes et tuas,
quod caecam noctem vicerit
revectans rursus sol diem.

13 Te nunc, ne carnis gaudia
blandis subrepant aestibus,
dolis ne cadat saeculi
mens nostra, sancte, quaesumus:

17 Ira ne rixas provocet,
gulam ne venter incitet,
opum pervertat ne famis,
turpis ne luxus occupet,

21 Sed firma mente sobrii,
casto manentes corpore,
totum fideli spiritu
Christo[4] ducamus hunc diem.

25 Praesta, Pater (1).

A. ignotus – Saltem saec. V-VI – Rhythm. (sola tamen licentia in 3ª syll.).

H. memoratur in Reg. Aureliani (cf. Bulst, p. 165) pro fer. III.

Chev. 626; Szöv. I, 421 – Thes. I, 39; PL, XVII, 1178; LXXXVI, 310; AH, LI, 10; Bulst, 93; Vogel, 29.

[1] *perpetim* AH.

[2] *obtendens* AH.

[3] Ita Bulst; *strato* cett.

[4] *Christe* Thes., Bulst; sed tum ex constanti 2ª syll. longa (praeter *Ira* v. 17), tum etiam ex consonantia cum vv. 29-32 h. *Diei luce reddita* (n. 42, Sabb.) et sensu profundiore, praetul. lect. cett.

Ad Deum

Fulgentis auctor aetheris,
qui lunam lumen noctibus,
solem dierum cursibus
certo fundasti tramite,

Nox atra iam depellitur,
mundi nitor renascitur,
novusque iam mentis vigor
dulces in actus erigit.

Laudes sonare iam tuas
dies relatus admonet,
vultusque caeli blandior
nostra serenat pectora.

Vitemus omne lubricum,
declinet prava spiritus,
vitam facta non inquinent,
linguam culpa non implicet;

Sed, sol diem dum conficit,
fides profunda ferveat,
spes ad promissa provocet,
Christo coniungat caritas.

Praesta, Pater (1).

A. ignotus – Saltem saec. V-VI – Rhythm.

H. memoratur in Regg. Caesarii et Aureliani (cf. Bulst, pp. 164, 165). In cdd. assignatur fer. IV (cf. AH, not.; Vogel, 29).

Chev. 6608; Szöv. I, 426 – Thes. I, 43; PL, XVII, 1180; LXXXVI, 192; AH, LI, 11; Bulst, 94; Vogel, 29.

Hortatio ad exorandum Deum

Surgente lucis sidere [1]
Deum precemur supplices,
ut in diurnis actibus
nos servet a nocentibus.

5 Linguam refrenans temperet,
ne litis horror insonet;
visum fovendo contegat,
ne vanitates hauriat.

9 Sint pura cordis intima
absistat et vecordia;
carnis terat superbiam
potus cibique parcitas;

13 Ut, cum dies abscesserit
noctemque sors reduxerit,
mundi per abstinentiam
ipsi canamus gloriam.

17 Deo Patri (iv).

A. ignotus – Saec. V-VI – Metr.

Congruum videtur ut, suppressa Prima, non pereat hic h. pulcher et notissimus. Qui vero servant Primam, adhibere hic alium poterunt, vel dividere h. *Lucis largitor splendide*, (n. 37: vv. 1-12; 13-32).

Chev. 9272; Jul. 577; Szöv. I, 428; II, 451 – Thes. I, 56; PL, XVII, 1188; AH, LI, 40 – Brevv.: Ben., Carm., Cist., Pm., Praed., Vat.

[1] *Iam lucis orto sidere* orig.; ita mut. ut conveniat horae.

Ad Deum et ad Christum

Deus, qui caeli lumen es
satorque lucis, qui polum
paterno fultum brachio
praeclara pandis dextera,

5 Aurora stellas iam tegit
rubrum sustollens gurgitem,
umectis atque [1] flatibus
terram baptizans roribus [2].

9 Iam noctis umbra linquitur,
polum caligo deserit,
typusque Christi, lucifer
diem sopitum suscitat [3].

13 Dies dierum, Deus [4], es
lucisque lumen ipse es,
Unum potens per omnia,
potens in unum Trinitas.

17 Te nunc, Salvator, quaesumus
tibique genu flectimus,
Patrem cum Sancto Spiritu
totis laudantes vocibus [5].

Amen.

A. ignotus – Saec. VI–VII – Rhythm.

Chev. 4491; Szöv. I, 425 – Thes. I, 66; PL, XVII, 1194; AH, LI, 8; Bulst, 105; Vogel, 26.

[1] *namque* orig.; ad perspic. subst.

[2] Om. str. 3, quae mythologiam quodammodo sapit et constructionem asperam exhibet.

[3] *suscitans* edd.

[4] *aius* (= ἅγιος) edd.; *agius* Thes., cum syll. excedente; cum vocab. nobis male sonet, subst. *Deus*.

[5] Sequuntur quattuor str. cum paraphrasi Orat. dominicae, cui nihil addunt; unde om., mutato verbo *rogamus* in *laudantes*.

Ad Christum

Diei luce reddita,
primis post somnum vocibus
Dei canamus gloriam,
Christi fatentes gratiam [1],

5 Per quem creator omnium
diem noctemque condidit,
aeterna lege sanciens
ut semper succedant sibi.

9 Tu vera lux fidelium,
quem lex veterna non tenet,
noctis nec ortu súccidens [2],
aeterno fulgens lumine.

13 Christe, precamur adnuas
orantibus servis tuis,
iniquitas haec saeculi
ne nostra captivet fidem.

17 Non cogitemus impie,
invideamus nemini,
laesi non reddamus vicem,
vincamus in bono malum.

21 Absit nostris e cordibus
ira, dolus, superbia;
absistat avaritia,
malorum radix omnium.

25 Conservet pacis foedera
non simulata caritas;
sit [3] illibata castitas
credulitate perpeti.

29 Praesta, Pater ingenite,
totum ducamus iugiter
Christo placentes hunc diem
Sancto repleti Spiritu [4].

A. ignotus – Saec. VII-VIII – Rhythm.

In antiquis Brevv. assignatur Laudib. Sabb.

Chev. 4586; Szöv. I, 425 – Thes. I, 68; PL, XVII, 1195; AH, LI, 13; Bulst, 109; Vogel, 32.

[1] *favente gratia* AH, Thes.

[2] *noctem nec ortu succedens* AH, Thes., quod videtur patenter mendosum.

[3] *sed* AH, Thes.

[4] Om. str. 7 (contra vinum et ebrietatem) et 9 (contra malum usum bonorum). Si h. breviandus visus erit, omitti poterunt str. 2 et 3.

AD TERTIAM

Tert. - *I cycl.* **43**

Ad Spiritum Sanctum

Nunc, Sancte, nobis, Spiritus,
unum Patri cum Filio,
dignare promptus ingeri
nostro refusus pectori.

5 Os, lingua, mens, sensus, vigor
confessionem personent,
flammescat igne caritas,
accendat ardor proximos.

9 Per te sciamus (xiv).

Dubie tribuitur s. Ambrosio – Metr.

Chev. 12586; Jul. 823; Szöv. I, 430; II, 452 – Thes. I, 50; PL, XVII, 1184; Bir. 121; AH, L, 19; Sim. 76 – Brevv.: Ambr., Ben., Carm., Cist., Pm., Praed., Vat.

Tert. - *II cycl.* **44**

Hortatio ad rogandum Deum

Certum tenentes ordinem,
pio poscamus pectore
hora diei tertia
trinae virtutis gloriam,

5 Ut simus habitaculum
illi Sancto Spiritui,
qui quondam in apostolis
hac hora distributus est.

9 Hoc gradiente ordine,
ornavit cunctos[1] splendide
regni caelestis conditor
aeternae vitae praemiis.

13 Deo Patri (iv).

A. ignotus – Saec. VII-VIII – Rhythm.

Chev. 2772; Szöv. I, 423 – Neale, 10; Thes. I, 45; PL, XVII, 1181; LXXXVI, 947; AH, LI, 15; Bulst, 110; Vogel, 34.

[1] Ita Neale, Thes.; *cuncta* AH, Bulst, Vogel, qua lectione tamen sensus videtur nimis difficilis.

AD SEXTAM

Sext. - *I cycl.* **45**

AD DEUM

Rector potens, verax Deus,
qui temperas rerum vices,
splendore mane instruis
et ignibus meridiem,

5 Exstingue flammas litium,
aufer calorem noxium,
confer salutem corporum
veramque pacem cordium.

9 Praesta, Pater (I).

Dubie tribuitur s. Ambrosio – Metr.

Chev. 17061; Jul. 953; Szöv. I, 432; II, 452 – Thes. I, 51; PL, XVII, 1185; Bir., 123; AH, L, 20; Sim. 76 – Brevv.: Ambr., Ben., Carm., Cist., Pm., Praed., Vat.

Sext. - *II cycl.* **46**

HORTATIO AD LAUDANDUM DEUM

Dicamus laudes Domino
fervente prompti[1] spiritu;
hora voluta sexies
nos ad orandum provocat;

5 In hac enim[2] fidelibus
verae salutis gloria
beati Agni hostia
crucis virtute redditur.

9 Cuius luce clarissima
tenebricat meridies,
sumamus toto pectore
tanti splendoris gratiam.

13 Deo Patri (IV).

A. ignotus – Saec. VII-VIII – Rhythm.

Chev. 4573; Szöv. I, 425 – Thes. I, 45; PL, XVII, 1181; LXXXVI, 955; AH, LI, 16; Bulst, 111; Vogel, 35.

[1] *prompto* Bulst.
[2] *quia in hac* edd.; mut. ad meliorem sonum.

AD NONAM

Non. - *I cycl.* **47**

AD DEUM

Rerum, Deus, tenax vigor,
immotus in te permanens,
lucis diurnae tempora
successibus determinans,

Largire clarum vespere,
quo vita numquam[1] decidat,
sed praemium mortis sacrae
perennis instet gloria.

Praesta, Pater (1).

Dubie tribuitur s. Ambrosio – Metr.

Chev. 17328; Jul. 956; Szöv. I, 432; II, 452 – Thes. I, 52; PL, XVII, 1185; Bir. 124; AH, L, 20; Sim. 78 – Brevv.: Ambr., Ben., Carm., Cist., Pm., Praed., Vat.

[1] Ita AH, Sim., iuxta omnes cdd., praeter G; *nusquam* cett. iuxta G, minus quidem recte.

Hortatio ad laudandum Deum

Ternis horarum terminis
volutis iam in Domino,
trinum perfect*e* et unicum
ipsum devoti psallimus [1].

Sacrum Dei mysterium
puro tenentes pectore,
Petri [2] magistri regula
signo salutis prodita,

Et nos psallamus spiritu,
haerentes sic apostolis,
ut [3] plantas adhuc debiles
Christi virtute dirigant.

Deo Patri (iv).

A. ignotus – Saec. VII-VIII – Rhythm.

Chev. 14835-36; Szöv. I, 431 – Thes. I, 45; PL, XVII, 1181; LXXXVI, 960; AH, LI, 16; Bulst, 111; Vogel, 35.

[1] In orig. *Perfectum trinum numerum, / ternis horarum terminis / laudes canentes debitas, / nonam dicentes psallimus.* Quae str. implexa et obscura est, quia *Perfectum tr. num.*, ut propositio a se, subintellegeret *est* (quod velit AH), sed supponeret *numerum* generis neutr.; sententiam insuper praeberet puerilem; ut praedicatum verbi *psallimus* absonum esset; an significaret SS. Trinitatem? *Ternis hor. t. laudes can. debitas* non iam convenit nostris diebus, cum possint duae Horae nunc omitti. *Nonam dicentes* nunc sonat ut locutio trita. Ideo totam str. mutavimus, cum introductio aliqua etiam requireretur.

[2] Quae sequuntur referuntur ad Act. III, 1 ss.: Petrus ascendit ad horam *nonam, signum* operatur in claudum cuius consolidatae sunt *plantae*, etc.

[3] In orig. *adhaerentes apostolis / qui:* p. rh. et ad maiorem perspic. mut.

AD VESPERAS

Vp. - *I cycl.* - *Dominica* **49**

AD DEUM

Lucis creator optime,
lucem dierum proferens,
primordiis lucis novae
mundi parans originem;

5 Qui mane iunctum vesperi
diem vocari praecipis:
taetrum chaos illabitur;
audi preces cum fletibus.

9 Ne mens gravata crimine
vitae sit exsul munere,
dum nil perenne cogitat
seseque culpis illigat.

13 Caelorum pulset intimum,
vitale tollat praemium;
vitemus omne noxium,
purgemus omne pessimum.

17 Praesta, Pater (1).

A. ignotus, idem tamen qui seqq. 5 hymnorum de Hexamer. – *Saec. VII-VIII* – *Metr.*

Chev. 10691; Jul. 700; Szöv. I, 429; II, 451 – Thes. I, 57; PL, XVII, 1188; AH, LI, 34 – Brevv.: Ben., Carm., Cist., Pm., Praed., Vat.

Vp. - *I cycl.* - *Fer. II* **50**

AD DEUM

Immense caeli conditor,
qui, mixta ne confunderent,
aquae fluenta dividens,
caelum dedisti limitem,

5 Firmans locum caelestibus
simulque terrae rivulis,
ut unda flammas temperet
terrae solum ne dissipet [1] :

9 Infunde nunc, piissime,
donum perennis gratiae,
fraudis novae ne casibus
nos error atterat vetus.

13 Lucem fides inveniat,
sic luminis iubar ferat;
haec [2] vana cuncta terreat,
hanc falsa nulla comprimant.

17 Praesta, Pater (1).

A. ignotus – *Saec. VII-VIII* – *Metr.*

Chev. 8453; Jul. 563; Szöv. I, 427; II, 451 – Thes. I, 58; IV, 50; PL, XVII, 1189; AH, LI, 35 – Brevv.: Ben., Carm., Pm., Vat.

[1] *dissipent* Brevv.
[2] *ut* Brevv.; *haec* confirmatur ex symmetria cum v. seq.

Vp. - *I cycl.* - *Fer. III* **51**

AD DEUM

Telluris ingens conditor,
mundi solum qui eruens,
pulsis aquae molestiis,
terram dedisti immobilem,

5 Ut germen aptum proferens,
fulvis decora floribus,
fecunda fructu sisteret
pastumque gratum redderet:

9 Mentis perustae vulnera
munda virore [1] gratiae [2],
ut facta fletu diluat
motusque pravos atterat.

13 Iussis tuis obtemperet,
nullis malis approximet,
bonis repleri gaudeat
et mortis actum nesciat.

17 Praesta, Pater (1).

A. ignotus – *Saec. VII-VIII* – *Metr.*

Chev. 20268; Jul. 1136; Szöv. I, 433; II, 453 (*Telluris alme c.*) – Thes. I, 59; IV, 50; PL, XVII, 1189; AH, LI, 36 – Brevv.: Ben., Carm., Pm., Vat.

[1] Ita Brevv.; *viroris* Thes.; *vi roris* AH, Vat., certe mendose in hoc h. metrico.
[2] *gratia* Thes.

Ad Deum

Caeli Deus sanctissime,
qui lucidum centrum poli
candore pingis igneo
augens decori lumina,

5 Quarto die qui flammeam
solis rotam constituens,
lunae ministras [1] ordini
vagos recursus [2] siderum,

9 Ut noctibus vel lumini
diremptionis terminum,
primordiis et mensium
signum dares notissimum:

13 Illumina cor hominum,
absterge sordes mentium,
resolve culpae vinculum,
everte moles criminum.

17 Praesta, Pater (1).

A. ignotus – *Saec. VII-VIII* – *Metr.* (exc. licentia *hŏminum*).

Chev. 3484; Jul. 241; Szöv. I, 424; II, 450 – Thes. I, 60; IV, 51; PL, XVII, 1190; AH, LI, 36 – Brevv.: Ben., Carm., Pm., Vat.

[1] *ministrans* AH, Vat.; constructio tamen suspensa maneret.

[2] *ordinem / vagosque cursus* Brevv.

Vp. - *I cycl.* - *Fer. V* **53**

Ad Deum

Magnae Deus potentiae,
qui ex aquis ortum genus
partim remittis gurgiti,
partim levas in aëra,

5 Demersa[1] lymphis imprimens,
subvecta caelis irrogans[2],
ut, stirpe una prodita,
diversa repleant[3] loca:

9 Largire cunctis servulis,
quos mundat unda sanguinis,
nescire lapsus[4] criminum
nec ferre mortis taedium,

13 Ut culpa nullum deprimat,
nullum levet iactantia,
elisa mens ne concidat,
elata mens ne corruat.

17 Praesta, Pater (1).

A. ignotus – *Saec. VII-VIII* – *Metr.*

Chev. 10934; Jul. 711; Szöv. I, 429; II, 451 – Thes. I, 61; PL, XVII, 1190; AH, LI, 37 – Brevv.: Ben., Carm., Pm., Vat.

[1] *dimersa* Thes., AH, Vat.; agitur de variatione graphica.

[2] *irrigans* Brevv., sine sensu congruo.

[3] *rapiant* omnes edd. et Brevv.; lectio tamen videtur suspecta in h. metrico, quare subst. iuxta Brev. Rom.

[4] *lapsum* AH.

Vp. - *I cycl.* - *Fer. VI* **54**

Ad Deum

Plasmator hominis, Deus,
qui, cuncta solus ordinans,
humum iubes producere
reptantis et ferae genus;

5 Qui magna rerum corpora,
dictu iubentis vivida,
ut serviant per ordinem
subdens dedisti homini:

9 Repelle a servis tuis
quicquid per immunditiam
aut moribus se suggerit,
aut actibus *se* interserit.

13 Da gaudiorum praemia,
da gratiarum munera;
dissolve litis vincula,
astringe pacis foedera.

17 Praesta, Pater (1).

A. ignotus – *Saec. VII-VIII* – *Metr.* (praeter licentiam in *hŏmo*).

Chev. 14968; Jul. 896; Szöv. I, 431; II, 451 (*Hominis superne conditor*) – Thes. I, 61; IV, 52-54; PL, XVII, 1191; AH, LI, 38 – Brevv.: Ben., Carm., Pm., Vat.

AD DEUM

Rerum, Deus, fons omnium,
qui, rebus actis omnibus,
totius orbis ambitum
censu replesti munerum,

5 Ac mole tanta condita
dulcem quietem diceris
sumpsisse, quo laboribus
et nos levemur gratius[1]:

9 Concede nunc mortalibus
deflere vitae crimina[2],
instare iam virtutibus
et munerari prosperis,

13 Ut cum tremendi iudicis[3]
horror supremus coeperit,
laetemur omnes invicem
pacis repleti munere.

17 Praesta, Pater (I).

A. ignotus – Saec. incerto – Metr.

Ex hymnario Gothico – Compositus iuxta stilum praecedentium, optime claudit cyclum « dierum creationis ».

Chev. 17326 – PL, LXXXVI, 926; AH, XXVII, 101.

[1] Apud edd. *Non actibus fessus manens, / laboribus non saucius, / cunctis quietem dans aegris / curis ruant ne morbidis;* quae str., praeter mendum illius *aegris*, visa est debilis et corrigenda, praecipue ob ea quae dicuntur de Deo nec fesso nec saucio; ideo hanc subst.

[2] *uti malorum hostiis* edd.; qui v., ob obscuritatem, correctioni subiciendus visus est.

[3] *terroris ut cum iudicis* edd.; aptum tamen non videtur *horror terroris*; quare mut.

Vp. - *II cycl.* - *Dominica* **56**

AD TRINITATEM

O lux, beata Trinitas
et principalis Unitas,
iam sol recedit igneus:
infunde lumen cordibus.

5 Te mane laudum carmine,
te deprecemur vespere;
te nostra supplex gloria
per cuncta laudet saecula.

9 Christum[1] rogamus (III).

A. ignotus – Saec. VII-VIII – Metr.

Chev. 13150; Jul. 842; Szöv. I, 430; II, 451 (*Iam sol recedit igneus*) – Thes. I, 36; IV, 47; PL, XVI, 1476; AH, LI, 38 – Brevv.: Ben., Carm., Cist., Pm., Praed., Vat.

[1] Quamvis 2ª str. censeri possit doxologica, tamen, ad supplendum nimiae brevitati h., add. str. doxologicam simul ac precatoriam s. Ambrosii.

AD DEUM

Sol angelorum, respice,
quem concupiscit mentium
intenta visu castitas
sursum manentem cernere;

5 Quo cuncta pollent caelitus
cursu recursu prospero;
quo vita constat omnium:
intende grates supplicum.

9 Da servulis custodiam
quo temperentur commoda,
adversa [1] sint innoxia,
corrupta ne sint pectora.

13 Virtutis [2] infer copiam,
qua conferas clementiam,
oblitus ut peccaminum
dones quieta [3] temporum.

17 Votis rogamus affatim,
superna pax, illabere,
quo cuncta tuta [4] perpetim
serves, subactis scandalis.

21 Praesta, Pater (1).

A. ignotus – Saec. incerto – Metr.

Ex Brev. Gothico.

Chev. 19077 – Thes. I, 257; IV, 56; PL, LXXXVI, 927; 961; AH, XXVII, 110.

[1] Ita Thes., quod requirit sensus; *aversa* AH.
[2] Etiam ad brev., om. duas str. debiliores.
[3] *quietem* Thes.
[4] *tua* AH, certo mendosum tum metro tum sensu.

Ad Deum

Sator principesque temporum,
clarum diem laboribus
noctemque qui soporibus
fixo distinguis ordine,

5 Mentem tu castam dirige,
obscura ne silentia
ad dira cordis vulnera
telis patescant invidi.

9 Somno non cedat spiritus,
vigilque custos corporis
metus inanes arceat,
fallax depellat gaudium.

13 Vacent ardore pectora
faces nec ullas sentiant,
affixae ne praecordiis
mentis vigorem saucient;

17 Sed cum defessa corpora
somni tenebunt gratiam,
caro quietis sit memor,
fides soporem nesciat.

21 Praesta, Pater (1).

A. ignotus – Saec. VII-VIII – Rhythm.

H. ab antiquis assignatur Vesperis; ne nimis videatur aptus Completorio, possent supprimi str. 3ª et 5ª.

Chev. 18693; Szöv. I, 433 – AH, LI, 19; Bulst, 111.

Ad Christum

Nigrante tectam pallio
iam terra noctem suscipit,
ut viva dulci funere
reconvalescant corpora.

5 Mortis figura blandior
bustum soporis admovet,
anhela lucis aestibus
dum mens tepescit otio.

9 Lux, Christe, vita, veritas,
ne fusca somni tempora
taetris parat*a* umbraculis
nos ad tenébras evocent.

13 Nox [1] nulla nos subdat sibi
in noctis atrae tegmine [2];
tu per quietis munera
assiste, custos pervigil [3].

17 Ornet cubile castitas,
quae prima virtutum micat [4];
vivat fides in pectore,
quae luce vernat perpeti.

21 Sit, Christe (IX).

Magnus Felix Ennodius († 521) – *Metr.*

Chev. 11963; Szöv. I, 429 – Thes. I, 150; AH, L, 62; G. Hartel, M. F. Ennodii opera omnia, CSEL, VI, p. 539; F. Vogel, MGH, Auct. ant., VII, p. 249; PL, LXIII, 326; Bulst, 77.

[1] *nex* AH.
[2] Om. quattuor seq. vv., sensu difficiliores et parum opportunos.
[3] Rursus om. duas str. de nocturnis tentationibus.
[4] Non necessario intellegendum quod castitas *sit prima virtutum,* sed quod *prima* inter ceteras *micat,* scil. quod *primatum splendoris* tenet.

Ad Deum

Deus, qui claro lumine
diem fecisti, Domine,
tuam rogamus gloriam
dum pronus volvitur [1] dies.

5 Iam sol urgente vespero
occasum suum graditur,
mundum concludens tenebris,
suum observans ordinem [2].

9 Sed tunc [3], excelse Domine,
precantes tuos famulos
diurno lassos opere [4]
quietos nox suscipiat,

13 Ut non fuscatis mentibus
dies abscedat saeculi,
sed tua tecti gratia
cernamus lucem prosperam.

17 Praesta, Pater (1).

A. ignotus – Saec. VII-VIII – Rhythm.

Chev. 4490; Szöv. I, 425 – Thes. I, 73; PL, XVII, 1198; AH, LI, 20; Bulst, 112; Sim. 98; Vogel, 36.

[1] *solvitur* Thes.

[2] *limitem* Thes.

[3] *tu* AH, Bulst, Sim., Vogel; quod syntactice deforme est.

[4] *labore fessos diei* orig., quod necessario mut. propter intolerabilem longam paenult. quae rhythmum turpat; vocab. *dies* nimium repetitur; *fessos* male sonat in quibusdam regionibus.

Ad Christum

Horis peractis undecim [1]
ruit dies in vesperum;
solvamus omnes debitum
mentis libenter [2] canticum.

5 Labor diurnus transiit
quo, Christe, nos conduxeras;
da iam colonis vineae
promissa dona gloriae.

9 Mercede [3] quos nunc [4] advocas,
quos ad futurum muneras,
nos in labore adiuva
et post laborem recrea.

13 Sit, Christe (IX).

A. ignotus – Saec. incerto – Metr.

Ex Brev. Gothico.

Chev. 8038 – Thes. IV, 46; PL, LXXXVI, 938; AH, XXVII, 106.

[1] H., pro hora *undecima* compositus, bene aptatur vesperi, cum relatione ad horam undecimam parabolae dominicae.

[2] *benignae* orig., quod non videtur conveniens de mente humana; nisi legere velimus *menti*, relatum ad benignam mentem Domini qui vocat in vineam et dat mercedem.

[3] *mercedem* PL, AH, certe mendosum in h. metrico.

[4] *quoque* edd., certe mendosum metro et sensu. Str. haec in mss. et edd. deturpata ostenditur primis duobus vv., quos ita sensu consono, ut videtur, restituimus.

AD DEUM

Deus, creator omnium
polique rector, vestiens
diem decoro lumine,
noctem soporis gratia,

5 Artus solutos ut quies
reddat laboris usui
mentesque fessas allevet
luctusque[1] solvat anxios,

9 Grates peracto iam die
et noctis exortu preces,
voti reos ut adiuves,
hymnum canentes solvimus.

13 Te cordis ima concinant,
te vox sonora concrepet,
te diligat castus amor,
te mens adoret sobria;

17 Et[2] cum profunda clauserit
diem caligo noctium,
fides tenébras nesciat
et nox fide reluceat.

21 Dormire mentem ne sinas;
dormire culpa noverit;
castis[3] fides refrigerans
somni vaporem temperet.

25 Exuta sensu lubrico
te cordis alta somnient,
nec hostis invidi dolo
pavor quietos suscitet.

29 Christum rogamus et Patrem,
Christi Patrisque Spiritum;
unum potens per omnia,
fove precantes, Trinitas[4].
Amen.

S. Ambrosius – Metr.

Chev. 4426; Jul. 291; Szöv. I, 425 – Thes. I, 17; PL, XVI, 1473; AH, L, 13; Bir. 125; Bulst, 42; Sim. 32 – Brevv.: Ambr., Cist., Pm.

[1] *luxusque* AH.
[2] *ut* AH, Bulst.
[3] *castos* AH.
[4] Evidenter huic pulchrae doxol., ab ipso Ambrosio compositae, non alia est addenda (ut fit in Ambr.).

AD COMPLETORIUM

Cp. - *I cycl.* **63**

AD CHRISTUM

Christe, qui lux es et dies [1],
noctis tenébras detegis,
lucisque lumen crederis [2]
lumen beatis [3] praedicans,

5 Precamur, sancte Domine,
hac nocte nos custodias [4];
sit nobis in te requies,
quietam noctem tribue.

9 Somno si dantur oculi [5],
cor semper ad te vigilet;
tuaque dextra protegas [6]
fideles [7] qui te diligunt.

13 Defensor noster, aspice,
insidiantes reprime,
guberna tuos famulos
quos sanguine mercatus es [8].

17 Sit, Christe (IX).

A. ignotus – Saec. V-VI – Rhythm.

H. memoratur in Reg. Caesarii.

Chev. 2934; Szöv. I, 424 – Thes. I, 33; IV, 54; PL, XVII, 1176; AH, LI, 21; Bulst, 98; Vogel, 38 – Brevv.: Carm., Pm., Praed.

[1] *die* Bulst, Vogel; sed melius videtur Christum hic appellari *diem*, ut saepe alibi (cf. n. 3, v. 2; n. 30, v. 4; n. 37, v. 10; etc.). Versus tamen, praesertim ob seriem monosyllaborum, est pronuntiatione difficilis; fortasse mutandus: *Christe, qui, lucidus dies.*

[2] *lucifer, lucem praeferens* AH.

[3] Ita Bulst, Vogel; *beatum* cett.

[4] Ita Bulst et Vogel; *defende nos in hac nocte* cett., cum prava ac gravi syll. paenult. longa, ita ut locutio videatur prosaice decurrere.

[5] *Oculi somnum capiant* edd., cum pravo rhythmo.

[6] *dextera tua protegat* edd., cum pravo rhythmo.

[7] *famulos* edd.; mut. ne ictus in cantu cogeret legere *famúlos*; ceterum idem vocab. paulo post repeteretur.

[8] Om. ultimam str., quae parum novi addit, ad brev.

Ad Deum

Te lucis ante terminum,
rerum creator, poscimus,
ut solita clementia
sis praesul ad custodiam.

5 Te corda nostra somnient,
te per soporem sentiant,
tuamque semper gloriam
vicina luce concinant.

9 Vitam salubrem tribue,
nostrum calorem refice,
taetram noctis caliginem
claritas tu*a* illuminet.

13 Praesta, Pater omnipotens,
per Iesum Christum Dominum,
qui tecum in perpetuum
regnat cum Sancto Spiritu.

1 str. ex notissimo h., *ignoti auctoris, saec. V-VI – Metr.* (cum licentia *sŏlita*).
2-3 str. ex h. *Christe, precamur, adnue,* qui memoratur in Reg. Caesarii, *a. ignoti, saec. VI – Rhythm.*

H. *Te lucis* denotat usum monasticum, quo omnia opera fiebant luce solari, et Cp. dicebatur *lucis ante terminum;* sed nunc quoque 1^{a} str. accipi potest sensu translato, quatenus Cp. dicitur ante terminum operum quae cum luce fiunt. Nulla ratione eam perire velimus, tam pulchram et dulcem, et ab ipso Alagherio quodammodo consecratam (Purg., VIII, 13-15). Secunda vero str. illius h., ac praesertim 4us v. (*ne polluantur corpora*) excultis nostris moribus non opportuna est, unde expunctam velimus.
Eius loco subst. duas str. antiquissimi h., qui iuxta Reg. Caes. dicendus erat alternis diebus cum h. *Christe, qui lux.* Huius h. omis. 1^{am} str., tum quia thema iam exhibitum erat, tum quia, ablato ita transitu a *rerum creatore* ad *Christum,* minus patefit iuxtapositio duorum hymnorum, et augetur organicitas compositionis. Item om. ultimam str., quae explicite, ut videtur, refertur ad Christum.

Te lucis: Chev. 20138; Jul. 1135; Szöv. I, 433; II, 453 – Thes. I, 52; PL, XVII, 1185; AH, LI, 42 – Brevv. omnia.

Te corda (*Christe, precamur, adnue*): Chev. 2923; Szöv. I, 424 – Thes. I, 151; PL, LXXXVI, 314; AH, LI, 20; Bulst, 97; Sim. 100.

IN OFFICIIS DE TEMPORE
ET IN CETERIS FESTIS DOMINI

TEMPORE ADVENTUS

Temp. Adventus - *A Dom. I ad d. 16 dec.* - *Vp.* **65**

Ad Christum

Conditor alme siderum,
aeterna lux credentium,
Christe, redemptor omnium,
exaudi preces supplicum.

5 Qui condolens interitu
mortis perire saeculum,
salvasti mundum languidum,
donans reis remedium,

9 Vergente mundi vespere[1],
uti sponsus de thalamo,
egressus honestissima
Virginis Matris clausula.

13 Cuius forti potentiae
genu curvantur omnia;
caelestia, terrestria
nutu fatentur subdita[2].

17 Te deprecamur, hagie[3],
venture iudex saeculi,
conserva nos in tempore
hostis a telo perfidi.

21 Sit, Christe (IX).

A. ignotus – Saltem saec. IX – Rhythm.

Chev. 3734; Jul. 257; Szöv. II, 450 (*Creator alme*) – Thes. I, 74; IV, 118; PL, XVII, 1198; AH, LI, 46 – Brevv.: Ben., Carm., Cist., Pm., Praed., Vat.

[1] Est qui dicat hunc v. non respondere conceptui de conditione historica Incarnationis; si mutandus esset, posset ita: *Cum essent plena tempora.* Cf. tamen I Cor. X, 11; I Io. II, 18.

[2] Om. str. seq., utpote fere extraneam.

[3] Si hoc vocab. Graecum hodie videatur absonum, substitui possit *Domine.*

Ad Christum

Verbum supernum prodiens,
a Patre summo [1] exiens,
qui natus orbi subvenis
cursu declivi temporis:

Illumina nunc pectora
tuoqu*e* amore concrema;
audita per praeconia [2]
sint pulsa tandem lubrica.

Iudexque cum post aderis
rimare [3] facta pectoris,
reddens vicem pro abditis
iustisque regnum pro bonis:

Non demum artemur malis
pro qualitate criminis,
sed cum beatis compotes
simus perennes caelites [4].

Sit, Christe (IX).

A. ignotus – Saltem saec. X – Metr. (exc. aliqua licentia).

Chev. 21391; Jul. 1217; Szöv. II, 484 – Thes. I, 77; IV, 144; PL, XVII, 1200; AH, LI, 48 – Brevv.: Ben., Carm., Cist., Pm., Praed., Vat.

[1] *olim* orig.; sed, si hic v. (qui certe refertur ad Io. XVI, 28) intellegatur de generatione aeterna, *olim* videtur theologice incongruum; quare mut.

[2] *audita ut praeconia* AH (Vat.) cum pluribus mss., et videtur lectio orig., tum ex verborum consonantia (*praeconia-lubrica*) ut in cett. vv., tum ex constanti intentione auctoris ponendi brevem tertiam syll.; *audito ut praeconio* cett., ex evidenti correctione textus, eo quod non intellexerunt agi ibi de accusativo absoluto: qui certe ne nobis quidem bene sonat; *audita per praeconia* proponitur in Thes. IV, 144 ex Mone: quam lect. adopt., quia sensum, metrum et consonantiam conciliat neque aures offendit.

[3] Lectio orig. fere certo haec fuit, ut in cod. K, cum auctor (praeter licentiam in *dēclivi*) ponat brevem tertiam syll., indulgens etiam saepe hiatibus.

[4] *caelibes* orig.; quod vocab., praesertim in usu ecclesiastico mediae aetatis, idem quoque valuit ac *caelestem vitam agens, caeles* (cf. Thes. l. Lat., III, 65; A. Blaise, Dictionn. latin-français des aut. chrét., ad vocem; F. Arnaldi, Latinitatis Italicae lexicon, ad vocem *caeles*), vel etiam *ab omni sorde peccati mundus;* cum nunc sensus videatur ambiguus, subst.

Excitatio animorum in Christum venturum

Vox clara ecce intonat,
obscura quaeque increpat:
procul fugentur [1] somnia;
ab aethre [2] Christus promicat.

Mens iam resurgat torpida
quae sorde exstat saucia;
sidus refulget iam novum,
ut tollat omne noxium.

E sursum Agnus mittitur
laxare gratis debitum;
omnes pro indulgentia
vocem demus cum lacrimis [3],

Secundo ut cum fulserit
mundumque horror cinxerit,
non pro reatu puniat,
sed nos pius [4] tunc protegat.

Summo Parenti gloria
Natoque sit victoria,
et Flamini laus debita
per saeculorum saecula [5].

A. ignotus – Saltem saec. X – Metr.

Chev. 22199; Jul. 1228; Szöv. II, 450 (*En clara vox*) – Thes. I, 76; IV, 143; PL, XVII, 1200; AH, LI, 48 – Brevv.: Ben., Carm., Cist., Pm., Praed., Vat.

[1] *pellantur eminus* cdd. et edd., omnia Brevv. praeter Cist.; sed p. rh. et excedentem numerum syllabarum, qui cantui praesertim nocet, adopt. lect. Brev. Romani, ut Cist., sensu eandem, ac rhythmo longe meliorem.

[2] Ita AH, ac recte iuxta frequentem usum huius ablativi media aetate; quod confirmatur ex intentione auctoris ponendi brevem tertiam syll.; *aethere* Thes., cum syll. excedente; *aethra* cod. H esset contra intentionem scriptoris.

[3] Absentia assonantiae in his duobus vv. (*–a*, *–is*). contra rationem cett., suspicionem interpolationis inducit; eo magis quod 3ª syll. apparet longa: *pro*, *de*mus.

[4] *pius nos* Thes., AH, Praed., Vat., sed contra rationem metricam auctoris.

[5] Hanc doxol. sumpsimus ex h. *Adesto, Sancte Spiritus* Alfani Salernitani (PL, CXLVII, 1226), ut servaretur consonantia quae in cett. str.

Ad Christum

Veni [1], redemptor gentium,
ostende partum Virginis;
miretur omne saeculum:
talis decet partus Deum.

Non ex virili semine,
sed mystico spiramine
Verbum Dei fact*um* est [2] caro
fructusque ventris floruit.

Alvus tumescit Virginis,
claustrum pudoris permanet,
vexilla virtutum micant,
versatur in templo Deus.

Procedat [3] e thalamo suo,
pudoris aula regia,
*gemi*nae [4] gigas substantiae
alácris ut currat viam [5].

Aequalis aeterno Patri,
carnis tropaeo cingere,
infirma nostri corporis
virtute firmans perpeti.

Praesaepe iam fulget tuum
lumenque nox spirat suum,
quod nulla nox interpolet
fideque iugi luceat.

Sit, Christe (IX).

S. Ambrosius – Metr.

Chev. 8989; 21234; Jul. 1211; Szöv. I, 428 – Thes. I, 12; PL, XVI, 1473; AH, L, 13; Bir. 49; Bulst, 43; Sim. 36 – Brevv.: Ambr., Carm., Pm., Praed.

[1] Om. primam str.: *Intende qui regis Israel...*, quae fere transpositio mera est verborum Ps. 79; ceterum in pluribus Brevv. etiam omitt.

[2] Omitt. Carm.: quod cantui proficeret, vitando molestam elisionem.

[3] *procedit* Ambr.; *procedens* Thes., Carm., Pm., Praed.

[4] P. rh. melius in cantu mutaretur, ex. gr. *duplae.*

[5] Ad brev. om. seq. str.: *Egressus eius a Patre, / regressus eius ad Patrem, / excursus usque ad inferos, / recursus ad sedem Dei.*

Laudes Christi et Mariae

Verbum salutis omnium,
Patris ab ore prodiens,
Virgo beata, suscipe
casto, Maria, viscere.

5 Te nunc illustrat caelitus
umbra fecundi [1] Spiritus,
gestes ut Christum Dominum,
aequalem Patri Filium [2].

9 Haec est sacrati ianua
templi serata iugiter,
soli tremendo Principi
pandens beata limina.

13 Olim promissus vatibus,
natus ante luciferum,
quem Gabriel annuntiat [3]
terris [4] descendit Dominus.

17 Laetentur simul angeli,
omnes exsultent populi:
excelsus venit humilis
salvare quod perierat.

21 Iesu, tibi (xi).

Str. 1-3 desumptae sunt ex h. *Verbum salutis* (cuius om. 4am non satis claram, 5am parvi momenti); str. 4-5 ex h. *Sol, astra, terra, aequora*, vv. 9, 11, 5, 32, 25-28.

Aa. ignoti – Saltem saec. X – Rhythm.

Verbum: Chev. 21386 – Bibl. Casin. I, Flor. 235; AH, XIV, 18.
Sol, astra: Chev. 19079; Szöv. I, 433 – AH, XIV, 17.

[1] *sacrati* orig., quod parum convenit Spiritui S., et v. 9 repetitur.
[2] *Patri aequalem Filium* orig.: invert. p. rh. et ad vitandum hiatum.
[3] *praedixerat* orig., quod refertur ad nativitatem.
[4] *terras* ed.; *terris* in recens. breviata (Chev. 19078; AH, II, 81).

Ad Christum

Voces prophetarum sonant,
venire Christum nuntiant,
redemptionis praevia,
qua [1] nos redemit, gratia.

Hinc mane nostrum promicat
et corda laet*a* exaestuant,
cum vox fidelis personat
praenuntiatrix gloriae.

Adventus hic primus fuit,
punire quo non saeculum
venit, sed ulcus tergere,
salvando quod perierat.

At nos secundus praemonet
adesse Christum ianuis,
sanctis coronas reddere [2]
caelique regna pandere.

Aeterna lux promittitur
sidusque salvans promitur;
iam nos iubar praefulgidum [3]
ad ius vocat [4] caelestium.

Te, Christe, solum quaerimus
videre, sicut es Deus,
ut perpes haec sit visio
perenne laudis canticum [5].

Sit, Christe (IX).

A. ignotus – Saec. incerto – Metr.

Ex Brev. Gothico, h. *Gaudete flores martyrum,* in festo ss. Acisli et Soc. Mart., quod colebatur d. 17 dec. Omissae sunt, tum ad brev., tum propter aliquam difficultatem constructionis et interpretationis, 3ª et 8ª str.; 1ª vero, quia respicit ss. Martyres.

Chev. 7150; Szöv. I, 426 – Neale, 56; Thes. IV, 57; PL, LXXXVI, 887; AH, XXVII, 63.

[1] *cum* AH.
[2] *addere* Thes.
[3] *refulgidum* Thes.
[4] *vocet* edd.; sed cum agatur de iure iam exstante, melius videtur in modo indicativo.
[5] *ut laeta nos haec visio / evellat omni tartaro* edd., quod mut., tum quia non congruum videtur quod effectus visionis Christi in caelo reponatur in ereptione a tartaro, tum quia non bene intellegitur illud *omni,* tum denique ad melius claudendum h. et praeparandam doxol. post omissionem ultimae str. Poterat etiam proponi: *ut laeta nos haec visio / in laudis aptet canticum,* vel: *ut laeta nobis visio / tuis redundet laudibus.*

TEMPORE NATIVITATIS ET EPIPHANIAE

In Nativitate Dni - *Vp.* **71**

AD CHRISTUM

Christe, redemptor omnium[1],
ex Patre, Patris Unice,
solus ante principium
natus ineffabiliter,

Tu lumen, tu splendor Patris,
tu spes perennis omnium,
intende quas fundunt preces
tui per orbem servuli[2].

Salutis auctor, recole[3],
quod nostri quondam corporis,
ex illibata Virgine
nascendo, formam sumpseris.

Hic[4] praesens testatur dies,
currens per anni circulum,
quod solus a sede Patris
mundi salus adveneris;

Hunc caelum, terra, hunc mare,
hunc omne quod in eis est,
auctorem adventus tui
laudat exsultans[5] cantico.

Nos quoque, qui sancto tuo
redempti sumus sanguine[6],
ob diem natalis tui
hymnum novum concinimus.

Iesu, tibi (XI).

A. ignotus – Saec. VI – Rhythm.

Chev. 2960 (2956); Jul. 228; Szöv. II, 451 (*Iesu, redemptor*) – Thes. I, 78; IV, 145; PL, XVII, 1201; AH, LI, 49 — Brevv.: Ben., Carm., Cist., Pm., Praed., Vat.

[1] *gentium* Thes.

[2] Ita AH (Vat.), ubi tamen non indicantur cdd. qui ita legant; *famuli* Thes. et cett. Brevv.

[3] *Memento salutis auctor* orig.; sed quamvis h. non sit metricus, tamen paenultima haec syll. cum diphthongo ac duabus seq. consonantibus nimis dura est; ideo paululum mut.

[4] *Sic* Thes. cum plur. cdd. et Brevv.; *Hic* AH, ac recte, ut videtur, ex emphasi qua nunc auctor insistit in pronom. *hic*: cf. vv. seq.: *hunc* caelum, *hunc* omne...

[5] Ita AH (Vat.) cum plur. cdd.; *laudans exsultat* Thes. (*exsultet* fortasse ex lapsu typographico) et Brevv.

[6] Ita Thes., Pm.; *sanguine sumus* cett., certe infirmiore rhythmo.

Laudes Christi nascentis

Emerge, dulcis pusio,
quem mater edit castitas,
parens et expers coniugis,
*medi*ator et duplex genus.

Ex ore quamlibet Patris
sis ortus et verb*o* editus,
tamen patern*o* in pectore
Sophía callebas prius,

Quae prompta caelum condidit,
caelum diemqu*e* et cetera:
virtute Verb*i* effecta sunt
haec cuncta, nam Verbum Deus.

Sed ordinatis saeculis
rerumque digesto statu,
fundator ips*e* et artifex
permansit in Patris sinu,

Donec rotat*a* annalium
transvolverentur milia
atqu*e* ipse peccantem diu
dignatus orbem viseret.

Vagitus ill*e* exordium
vernantis orbis prodidit,
nam tunc renatus sordidum
mundus veternum depulit.

Iesu, tibi (xi).

Prudentius – Metr.

Cathem. XI, 13-32; 61-64.

Has str. selegimus, non solum ad brev., sed etiam quod aptiores visae sunt ad usum liturgicum.

Chev. 16586; Szöv. I, 87 – PL, LIX, 888; Berg. 64; Pell. 166; AH, L, 25 (Prud., Cath. XI, 1-32); Bulst (item), 66; Cunn. 60.

LAUDES CHRISTI NASCENTIS

A solis ortus cardine
adusque [1] terrae limitem
Christum canamus principem,
natum Maria virgine.

5 *B*eatus auctor saeculi
servile corpus induit,
ut carne carnem liberans
non [2] perderet quod [3] condidit.

9 *C*lausae [4] parentis viscera
caelestis intrat gratia;
venter puellae baiulat
secreta quae non noverat.

13 *D*omus pudici pectoris
templum repente fit Dei;
intacta nesciens virum
concepit aure [5] Filium.

17 *E*nixa est [6] puerpera
quem Gabriel praedixerat,
quem matris alvo gestiens
clausus Ioannes senserat.

21 *F*eno iacere pertulit,
praesaepe non abhorruit,
parvoque lacte pastus est
per quem nec ales esurit.

25 *G*audet chorus caelestium
et angeli canunt Deum [7],
palamque fit pastoribus
pastor, creator [8] omnium.

29 Iesu, tibi (XI).

Sedulius († 450 c.) – *Metr.*

Est prima pars h. abecedarii, quo canuntur mirabilia vitae Christi.

Chev. 25-26; Jul. 4; Szöv. I, 421; II, 458 – Thes. I, 143; IV, 144; PL, XIX, 763; Huemer, 162; AH, L, 58; Bulst, 71 – Brevv.: Ben., Carm., Cist., Pm., Praed., Vat.

[1] Ita recte Huemer, AH, Bulst.

[2] Ita Huemer, AH, Bulst, Vat.; *ne* cett.

[3] Ita Huemer, AH, Bulst, Vat.; *quos* cett.

[4] Ita Huemer, AH, Bulst, Vat.; *clausa* Thes., certe mendosum cum secunda brevi; *castae* cett., haud dubie ad correctionem illius *clausae*, vocabuli minus communis, sed hic tam pulchri et intellectu facilis.

[5] *verbo creavit* Huemer, AH, Bulst, et certe in orig.; cett. *verbo concepit* (metro mendosum), ad vitandum vocab. quod rigido theologiae et philosophiae sermoni non convenit; *concepit alvo* Brev. Rom., quod recte metrum corrigit, sed addit inutile *alvo*; propon. *concepit aure* (salvo metro), quia *aure* (Virginis) est correlativum ad illud *verbo* (Angeli): concepit audiendo verbum Angeli (cf. innumeras picturas quibus Virgo exhibetur aure speciatim attenta: ita enim significabatur singularis eius conceptio). Maxime cf. eundem v. in h. Ennodii *Ut Virginem fetam loquar*, v. 11 (Bulst, 86), et in h. *Quem terra, pontus, aethera* (n. 147), v. 11: *Quod aure Virgo concipit.*

[6] Cum hiatu, quem non semel Sedulius admittit: cf. Huemer, 395.

[7] Ita Huemer, AH, Bulst, Vat., quod rectius videtur etiam ex assonantia quam Sedulius observavit in hoc carmine, ubi vv. bini eadem vocali terminantur, vel, si tertius in aliqua str. dissonat, quartus assonat cum primo et secundo (exinde conici facile potest in vv. 81-84: *Xeromyrrham post sabbatum / quaedam vehebant compares, / quas adlocutus angelus / vivum sepulcro non tegi*, lectionem *compares* cedere debere *corpori*, quae assonat cum *tegi*).

[8] *creatorque* Huemer, AH, Vat.; *creator* Bulst ac cett., multo melius etiam pro rhythmo et cantu.

AD IPSOS

O lux beata caelitum
et summa spes mortalium,
Iesu, cui [1] domestica
arrisit orto caritas;

5 Maria, dives gratia,
o sola quae casto potes
fovere Iesum pectore,
cum lacte donans oscula;

9 Tuqu*e* ex vetustis patribus
delecte custos Virginis,
dulci patris quem nomine
divina Proles invocat:

13 De stirpe Iesse nobili
nat*i* in salutem gentium,
audite nos qui supplices
ex corde vota fundimus [2].

17 Qua vestra sedes floruit
virtutis omnis gratia,
hanc detur in domesticis
referre posse moribus.

21 Iesu, tuis oboediens
qui factus es parentibus,
cum Patre summ*o* ac Spiritu
semper tibi sit gloria.

Leo XIII († 1903) – *Metr.*

Chev. 30572; Szöv. II, 452 – Brevv.: Carm., Pm., Praed., Vat.

[1] *Iesu, o cui* orig.; om. *o* non necessarium, molestum ob elisionem, nimis repetitum vv. 1, 3, 6.

[2] *Vestras ad aras sistimus* orig.; cui v., qui supponit praesentiam ante altaria S. Fam., subst. alium str. seq., quam om.: *Dum sol redux ad vesperum / rebus nitorem detrahit, / nos hic manentes intimo / ex corde vota fundimus.*

Laudes ipsorum

Dulce fit [1] nobis memorare parvum
Nazarae tectum tenuemque cultum;
gaudium [2] Iesu tacitam referre
carmine vitam.

5 Arte qua Ioseph humil*i* excolendus,
abdito Iesus iuvenescit aevo,
seque fabrilis socium laboris
adicit ultro.

9 Assidet nato pia mater almo,
assidet sponso bona nupta, felix
si potest curas relevare lassis [3]
muner*e* amico.

13 O nequ*e* expertes oper*ae* et laboris,
nec mal*i* ignari, miseros iuvate;
quotquot implorant columen, benigno
cernite vultu.

17 Sit tibi, Iesu, decus atque virtus
sancta qui vitae documenta praebes,
quique cum summo Genitor*e* et almo
Flamine regnas.

Leo XIII – Metr.

Str. 3, 5, 7; 8, vv. 1-2; 9, vv. 3-4, ex h. *Sacra iam splendent decorata lychnis.*

Chev. 17636; Szöv. II, 453 – Brevv.: Carm., Pm., Praed., Vat.

[1] *Gratius* orig., necessario mutandum, cum referatur ad str. praec. omissas.
[2] Iterum *gratius* orig., mutandum ratione qua supra.
[3] *Fessis* orig., quod male sonat in aliquibus regionibus.

Ad ipsos

Christe, splendor Patris,
Dei mater virgo,
Ioseph, tam sacrorum
pignorum servator,

5 Nitet vestra domus
floribus virtutum,
ubi gratiarum
fons promanat ipse.

9 Angeli stupentes
Natum Dei cernunt
servi form*a* indutum
servis famulantem.

13 Imus praees, Ioseph,
humilisque iubes;
iubes et Maria
et utrique servis.

17 Cunctis praestant aulis
haec egena saepta,
salus unde coepit
generis humani.

21 Iesu, Mater, Ioseph,
mansionis vestrae
nostras date sedes
donis frui sanctis.

25 Tibi laudes, Christe,
spem qui nobis praebes
tuos per parentes
cael*i* adire domum.

Unus e nostris – Rhythm.

Compositus de industria tono et cursu simplex, iuxta schema et stilum h. *Ave, maris stella.*

Laudes Christi nati et Matris eius

Corde natus ex Parentis
ante mundi exordium,
Alpha et O cognominatus,
ipse fons et clausula
omnium quae sunt, fuerunt
quaeque post futura sunt.

Corporis formam caduci,
membra morti obnoxia
induit, ne gens periret
primoplasti ex germine,
merserat quam [1] lex profundo
noxialis tartaro.

O beatus ortus ille,
virgo cum puerpera
edidit nostram salutem
feta Sancto Spiritu,
et puer redemptor orbis
os sacratum protulit.

Ecce, quem vates vetustis
concinebant saeculis,
quem prophetarum fideles
paginae spoponderant,
emicat promissus olim:
cuncta collaudent eum!

Gloriam Patri melodis
personemus vocibus;
gloriam Christo canamus,
matre nato virgine;
gloriam Paraclito
saeculorum saeculis [2].

Prudentius – Metr.

Cathem. IX, 10-12; 16-21; 25-27.

Chev. 3902; Szöv. I, 424 – PL, LIX, 863; Berg. 51; Pell. 136; Cunn. 47; non integre: Thes. I, 122; AH, L, 25.

[1] *quem* edd.; maluimus tamen lect. *quam*, a multis cdd. praebitam, cum referri videatur ad *gens* potius quam ad *primoplasti.*

[2] Doxol. compeg. ex quattuor vv. illius quae est in h. s. Michaelis (n. 247), ex alio huic festivitati a nobis aptato, ex ultimo ab ipso hoc carmine (v. 114) sumpto.

In f. S. Dei Genetricis M. et Oct. Nativ. Dni - *O. lect.* - *A* 78

Laudes Christi nati et Matris eius

Radix Iesse[1] floruit
et virga fructum[2] edidit;
fecunda partum protulit
et virgo mater permanet.

Praesaepe poni pertulit
qui lucis auctor exstitit;
cum Patre caelos condidit,
sub matre pannos induit.

Legem dedit qui saeculo,
cuius decem praecepta sunt,
dignando factus est homo
sub legis esse vinculo.

Iam nata lux est et salus,
fugata nox et victa mors;
venite, gentes, credite:
Deum Maria protulit.

Iesu, tibi (xi).

A. ignotus, fere certe idem ac hymni *Quem terra* (n. 147). – *Saec. VII-VIII* – *Metr.*

Sunt str. 4, 5, 7, 8 h. *Agnoscat omne saeculum* (n. 129), quae magis conveniunt Nativitati.

Chev. 758; Jul. 30; Szöv. I, 421 – Thes. I, 159; PL, LXXXVIII, 264; Leo, IV, 1, 384 (inter spuria carm. Ven. Fortunati); AH, L, 85.

[1] Est trisyllabum.
[2] Non fit elisio, etsi h. est metricus (cf. n. 6, v. 8).

1 ian.

In f. S. Dei Genetricis M. et Oct. Nativ. Dni - *O. lect.* - *B* **79**

Laudes Christi nati et Matris eius

Cuncta laudes intonant
super partum Virginis,
lex et psalmi consonant
prophetarum paginis [1].

Mediator nobis datus
in salutis pretium,
non naturae, sed reatus
refugit consortium.

Non amittit claritatem
stella fundens radium,
nec Maria castitatem
pariendo Filium.

Solitudo floreat
et desertum gaudeat:
virga Iesse floruit.

Radix virgam, virga florem,
Virgo profert Salvatorem,
sicut lex praecinuit.

Iesu, puer immortalis,
tuus nobis hic natalis
pacem det et gaudia;

Flos et fructus virginalis,
cuius odor est vitalis,
tibi laus et gloria [2].

Ascribitur Adamo de S. Victore – Rhythm.

H. *In excelsis canitur:* str. 15-16; 5-6; 9-10; doxol. ex sequentia *Iubilemus Salvatori* (str. 11-12: AH, LIV, 153).

Chev. 8583; Szöv. II, 470 – Gautier, 17; AH, LIV, 160.

[1] Omissis primis vv., qui minus huic diei conveniunt, huc transtulimus str. 15-16 ad procurandam introductionem.

[2] Doxologiae huius h., paululum artificiosae, hanc simpliciorem et breviorem subst.

1 ian.

In f. S. Dei Genetricis M. et Oct. Nativ. Dni - *Ld.* **80**

Laudes Christi nati et Matris eius

Fit porta Christi pervia
referta plena gratiā,
transitque rex, et permanet
clausa, ut fuit, per saecula.

Summi Parentis Filius
processit aula Virginis,
sponsus, redemptor, conditor,
suae gigas Ecclesiae:

Honor matris et gaudium,
immensa spes credentium [1],
lapis de monte veniens
mundumque replens gratia.

Exsultet omnis anima
quod nunc Redemptor gentium
advenit mundi dominus
redimere quos condidit [2].

Christo sit omnis gloria,
quem Pater Deum genuit,
quem Virgo mater edidit
fecunda Sancto Spiritu [3].

A. ignotus – Saec. incerto – Rhythm.

Ad brev. nonnullae str. omissae sunt.

Chev. 6346; Szöv. II, 348 – Thes. I, 21; PL, XVI, 1476; XVII, 1173; Guéranger, Ann. lit., Noël, II, 247; Chev., Poésie, 131.

[1] Sequitur apud edd.: *per atra mortis pocula / resolvit nostra crimina;* sed cum memoria passionis nunc videatur extranea, om. illos vv. ac subst. duos ex alia str. seq.

[2] Edd.: *Exsultet omnis anima / nunc redemptorem gentium / mundi venisse Dominum / redimere quos condidit;* paululum vero mut. ad vitandam, claritatis gratia, non rectam constructionem *exsultet redemptorem... venisse.*

[3] Doxol. deest apud edd.; hanc subst., in qua 2us v. memorat versum 50 h. huius: *Deus Deumque genuit.*

CELEBRATIO MYSTERII: APPARITIO STELLAE

Quicumque Christum quaeritis,
*ocu*los[1] in altum tollite:
illic licebit visere
signum perennis gloriae.

5 Haec stella, quae solis rotam
vincit decore ac lumine,
venisse terris nuntiat
cum carne terrestri Deum.

9 En, Persic*i* ex orbis sinu,
sol unde sumit ianuam,
cernunt perit*i* interpretes
regale vexillum magi.

13 « Quis iste tantus » inquiunt,
« regnator astris imperans,
quem sic tremunt caelestia,
cui lux et aethr*a* inserviunt?

17 Illustre quiddam cernimus
quod nesciat finem pati,
sublime, cels*um*, interminum[2],
antiquius cael*o* et chao.

21 Hic ille rex est gentium
*popu*lique rex Iudaici[3],
promissus Abrahae patri
eiusqu*e* in aevum semini ».

25 Iesu, tibi (XII).

Prudentius – Metr.

Cathem., XII, vv. 1-8, 25-28, 33-44. Vv. 1-4, 37-44, 85-88 nunc constituunt h. pro Transfiguratione Dni: Thes. I, 135.

Chev. 16556-57; Jul. 946; Szöv. I, 431; II, 452 – PL, LIX, 901; Berg. 68; Pell. 176; Cunn. 65 – Brevv.: Ben., Carm., Cist., Pm., Praed., Vat.

[1] *vultus* Praed.: quod bene consulit cantui, auferendo syll. superabundantem.

[2] Ut possit vitari elisio *-sum interm.*, cum idem fere sonent *sublime* et *celsum*, proponitur a quibusdam mutatio *celsum, nitens, interminum.*

[3] *plebisque rex Iudaicae* Praed.: idem notandum quod nota 1[a].

CELEBRATIO MYSTERII: OBLATIO MUNERUM REGI DOMINO

Magi videntes parvulum [1]
eoa promunt munera,
stratique votis offerunt
tus, myrrh*am* et aurum regium.

5 Agnosce clar*a* insignia
virtutis ac regni tui,
Puer o, cui trinam Pater
praedestinavit indolem:

9 Regem Deumqu*e* annuntiant
thesaurus et fragrans odor
turis Saba*ei*, at [2] myrrheus
pulvis sepulcrum praedocet.

13 O sola magnar*um* urbium
maior Bethlem [3], cui contigit
ducem salutis caelitus
incorporatum gignere!

17 Hunc et prophetis testibus
ìsdemque [4] signatoribus
testator et sator [5] iubet
adire regn*um* et cernere [6]:

21 Regnum quod ambit omnia
di*a* et marin*a* et terrea
a solis ort*u* ad exitum
et tartar*a* et caelum supra.

25 Iesu, tibi (XII).

Prudentius – Metr.

Cathem., XII, vv. 61-72, 77-80, 85-92.

Ex eodem Prudentii hymno, de quo cf. notas in h. ad Vesp., compositus est h. qui nunc exstat in Brevv. pro Laud. *O sola...*; nempe ex vv. 77-80, 5-8, 61-64, 69-72. Str. vero *Hunc et prophetis* (vv. 85-88) adhibita est, ut notav., pro h. Transfig. Dni.

Chev. 13745; Jul. 946; Szöv. I, 86; II, 452 – Thes. I, 127; PL, LIX, 904 – Brevv.: ut supra ad Vesp.

[1] *Videre quod postquam magi* a.: quod necessario mut., non solum propter duritiem v., sed praesertim propter initium novo huic h. aptandum. Hic v. memorat alium illius h. *Iesus refulsit omnium* (AH, LI, 51), qui sonat *Illi, cadentes, parvulum.*

[2] Ita Berg., Pell., Cunn.; *ac* alii et Brevv.

[3] *Bethlehem* Cist., mendose.

[4] *hisdemque* Berg., Pell., Cunn.; *iisdemque* Brevv.; *isdemque* alii, quae forma contracta melius cantui aptatur.

[5] Ita a., et certe potest orthodoxe accipi ut idem ac *pater*; si videatur tamen theologice ambiguum, poterit substitui *pater*, ut factum est in Brevv.

[6] *audire nos et credere* Brevv.; *ipsum audire et credere* Carm.; quae lectiones subvertunt sensum poetae, iuxta quem Pater *iubet hunc*, seu *Christum*, ut *adeat* suum *regnum et cernat*, seu imperet et iudicet.

Celebratio mysterii triplicis

Hostis Herodes impie,
Christum venire quid times?
Non eripit mortalia
qui regna dat caelestia.

Ibant magi, qua venerant [1]
stellam sequentes praeviam,
lumen requirunt lumine,
Deum fatentur munere.

Lavacra puri gurgitis
caelestis Agnus attigit;
peccata quae non detulit [2]
nos abluendo sustulit.

Novum genus potentiae:
aquae rubescunt hydriae,
vinumque iussa fundere
mutavit und*a* originem.

Iesu, tibi (XII).

Sedulius – Metr.

Str. 8, 9, 11, 13 h. *A solis ortus cardine* (cf. in Nativ. Dni, n. 73).

Chev. 25-26; Jul. 4; Szöv. I, 421; II, 458 (*Crudelis Herodes, Deum*) – Thes. I, 147; PL, XIX, 765; Huemer, 164; AH, L, 58; Bulst, 71 – Brevv.: Ben., Carm., Cist., Pm., Praed., Vat.

[1] *quam viderant* Thes., Brevv.
[2] Ita Thes., Bulst, Brevv.; *qui mundi tulit* Huemer, AH, ex cdd. qui facile secuti sunt Ambrosii h. *Iam surgit* (n. 106), v. 31.

Ad Christum

A Patre Unigenite,
ad nos venis per Virginem,
baptismi rore consecrans
cunctos, fide regenerans [1].

5 De caelo celsus prodiens [2]
excipis [3] formam hominis,
facturam morte redimens,
gaudia vitae largiens.

9 Hoc te, Redemptor, quaesumus:
illabere propitius,
clarumque nostris cordibus [4]
lumen praebe deificum.

13 Mane nobiscum, Domine,
noctem obscuram remove,
omne delictum ablue,
piam [5] medelam tribue [6].

17 O vita, salus, veritas [7],
Christe, sit tibi gloria,
quem Patris atque Spiritus
splendor revelat caelitus [8].

A. ignotus – Saltem saec. X – Rhythm.

Chev. 13-14 – Thes. IV, 151; PL, LXXXVI, 74; AH, II, 80; XXVII, 66 – Brevv.: Carm., Praed.

[1] Ita AH, XXVII; cett. *A Patre Unigenitus / ad nos venit per Virginem, / baptisma cruce consecrans, / cunctos fideles generans.* Stropha AH, XXVII melius concordat cum cett., in quibus sermo dirigitur ad Christum, et servat assonantiam, quae est in omnibus str.

[2] Ita AH, XXVII, non tamen servata assonantia; cett. *prodiit.*

[3] *excepit* edd. et Brevv.; mut. modicissime, ut etiam hic dirigeretur sermo ad Christum; p. rh. melius esset *assumis.*

[4] *sensibus* Thes., Brevv.

[5] *pie* PL, AH, XXVII.

[6] Str. seq., nonnullis difficultatibus laborantem, om.

[7] *Vita, salus et veritas* orig.; mut. ut statim appareret vis appositiva trium vocab.

[8] In hac str. auctor, post vv. *Vita, salus et veritas / Xriste, rogantes adiuva,* pressus tyrannide structurae abecedariae, addiderat vv. *Ymnum sonantes iubilo / Zelum vincamus lubricum,* qui parum apti sunt; unde etiam in quibusdam fontibus tota str. suppressa est et alia doxol. substituta. Melius censuim., servato primo v., alios substituere, ut constitueretur doxol. mysterio aptior.

CELEBRATIO MYSTERII

Implente munus debitum
Ioanne, rerum conditor [1]
Iordane mersus hac die
aquas lavando diluit,

5 Non ipse mundari volens
de ventre natus Virginis,
peccata sed mortalium
suo lavacro tollere [2].

9 Dicente Patre quod « meus
dilectus hic est Filius »,
sumente Sancto Spiritu [3]
formam columbae caelitus,

13 Hoc mystico sub nomine
micat salus ecclesiae;
Persona trina commanet
unus Deus per omnia.

17 O vita, salus (*ut n.* 84).

A. ignotus – Saltem saec. X – Metr.

Sunt str. 5-8 h. *Illuxit orbi iam dies.*

Chev. 8430 – Mone I, 77; Thes. IV, 11; AH, XIV, 40 .

[1] *Ioanne Baptista sacro / implente munus debitum* orig.; mut. tum ob duritiem prioris v., tum ad exprimendum subiectum.

[2] *suo fugare lávacro* orig.; mut. ad vitandum *lávacro* non bene sonans.

[3] *sumensque Sanctus Spiritus* orig., quod videtur nominativo absoluto constructum; facile coordinav. cum ablativo praec.

CELEBRATIO MYSTERII ET ORATIO AD CHRISTUM

Iesus refulsit omnium
pius redemptor gentium;
totum genus fidelium
laudis celébret canticum[1].

Denis ter aevi circulis[2]
iam parte vivens corporis[3],
lympham petit baptismatis
cunctis carens contagiis.

Felix Ioannes mergere
illum tremescit flumine,
potest suo qui sanguine
peccata mundi tergere.

Vox ergo Prolem de polis
testatur excelsi Patris,
virtus fluitque Spiritus[4]
sancti datrix charismatis.

Nos, Christe, supplici prece
precamur, omnes protege,
ac mente fac nitescere
tibique mundos vivere[5].

O vita, salus (*ut n.* 84).

A. ignotus – Saltem saec. X – Metr.

Chev. 9738 – Thes. I, 4; IV, 150; AH, LI, 51.

[1] *laudes celebret dragmatum* (*dramatum*) edd.: resonat antiphona Off. SS. Virginum *Ante torum huius virginis frequentate nobis dulcia cantica dramatis*; cum vero locutio non satis clarae aut certae significationis sit, maluimus paululum immutare. Om. praeterea duas seq. str., quae respiciunt stellam et magos.

[2] *Denum ter annorum cyclis* AH; *denis ter a. c.* Thes.; mut. ob duritiem v.; poteramus etiam ita: *Denos ter orbes temporis.*

[3] *temporis* Thes.

[4] *adestque Pneumatis* edd.; mutav. ad vitandum durissimum *adestque* et non opportunum graecismum, quamvis violetur consonantia; poterat etiam substitui *et astat Sp.*

[5] Cum edd. hic habeant vv. de aqua conversa in vinum, hos duos posteriores vv. subst., qui conveniunt mysterio. Str. autem seq., genericam, om.

TEMPORE QUADRAGESIMAE

Temp. Quadrag. - *In Dominicis* - *Vp.* **87**

Ad Deum

Audi, benigne Conditor,
nostras preces cum fletibus,
in hoc sacro ieiunio
fusas quadragenario.

5 Scrutator alme cordium,
infirma tu scis virium;
ad te reversis exhibe
remissionis gratiam.

9 Multum quidem peccavimus,
sed parce confitentibus [1],
tuique laude [2] nominis
confer medelam languidis.

13 Sic corpus extra conteri
dona per abstinentiam,
ieiunet ut mens sobria
a labe prorsus criminum.

17 Praesta, beata Trinitas,
concede, simplex Unitas,
ut fructuosa sint tuis
ieiuniorum munera.

Dubie tribuitur Gregorio M. († 604) – *Metr.*

Chev. 1449; Jul. 61; Szöv. II, 450 – Thes. I, 178; PL, LXXVIII, 849; AH, LI, 53; Jah. II, 55 – Brevv.: Ambr., Ben., Carm., Cist., Pm., Praed., Vat.

[1] *poenasque comparavimus* Pm., ut in quibusdam cdd. Germaniae (cf. AH, LI).

[2] *et laude tui* Jah., secundum lect. cuiusdam ms. cum mendo metr.; *ad nominis laudem tui* Ambr. (iuxta Brev. Rom.); *ad laudem tui nominis* cett., cum duplici mendo metr., quod, in hoc h. metrico, suspicionem corruptionis inducit. Cum vero correctio Brev. Rom. duri rhythmi videatur, hanc propon.

HORTATIO AD OBSERVANDAM QUADRAGESIMAM

Ex more docti mystico
servemus hoc[1] ieiunium,
deno dierum circulo
ducto quater notissimo.

5 Lex et prophetae primitus
hoc praetulerunt, postmodum
Christus sacravit, omnium
rex atque factor temporum.

9 Utamur ergo parcius
verbis, cibis et potibus,
somno, iocis, et artius
perstemus in custodia.

13 Vitemus autem pessima
quae subruunt mentes vagas,
nullumque demus callido
hosti locum tyrannidis[2].

17 Praesta, beata (*ut n.* 87).

Dubie tribuitur Gregorio M. – *Metr.*

Haec est prior pars hymni; altera ad Laudes; ita divis. ad brev.
Chev. 5610; Jul. 359; Szöv. II, 450 – Thes. I, 96; PL, XVII, 1212; AH, LI, 55 – Brevv.: Ambr., Ben., Carm., Pm., Vat.

[1] *en* AH, Vat.
[2] Ita AH, Thes., Ambr., Vat.; *callidi* / *hostis locum tyrannidi* cett.

HORTATIO AD OBSERVANDAM QUADRAGESIMAM

Deo canamus[1], cernui
clamemus atque singuli,
ploremus ante iudicem,
flectamus iram vindicem:

5 Nostris malis offendimus
tuam, Deus, clementiam;
effunde nobis desuper,
remissor, indulgentiam.

9 Memento quod sumus tui,
licet caduci, plasmatis:
ne des honorem nominis
tui, precamur, alteri.

13 Laxa malum quod fecimus,
auge bonum quod poscimus,
placere quo tandem tibi
possimus hic et perpetim.

17 Praesta, beata (*ut n.* 87).

Est altera pars h. praec. (*Ex more*); cf. ibid. adnotationes.

[1] *Dicamus omnes* orig.; quod mut. ut, divisione peracta, melius haec pars introduceretur.

Ad Christum

Iesu, quadragenariae
dicator abstinentiae,
qui ob salutem mentium
hoc sanxeras ieiunium,

5 Adesto [1] nunc ecclesiae,
adesto paenitentiae,
qua pro suis excessibus
orat profusis [2] precibus.

9 Tu retroacta crimina
tua remitte gratia
et a futuris [3] adhibe
custodiam mitissime,

13 Ut, expiati annuis
ieiuniorum victimis,
tendamus ad paschalia
digne colenda gaudia.

17 Praesta, Pater, per Filium,
praesta per almum Spiritum,
cum his per aevum triplici
unus Deus cognomine [4].

A. ignotus – Saltem saec. X – Metr. (exc. licentia syll. brevis antepaenult. in paucis vv.).

Chev. 9607; Jul. 593 – Thes. I, 5; AH, LI, 58.

[1] Om. 2am str.: *Quo paradiso redderes / servata parcimonia, / quos inde gastrimargiae / huc illecebra depulit.*

[2] *profusis orat* AH, quae lect. videtur mendosa in hoc h. metrico; quare praetul. lect. rectam aliorum mss.

[3] *affuturis* AH, certe mendose; ibi quoque notatur lect. solitam in mss. esse *afuturis,* quod legendum *a futuris* (criminibus), ut recte Thes.

[4] Si *cognomine* videatur theologice minus aptum, posset adhiberi doxol. hymnorum praec.

Ad Deum

Nunc tempus acceptabile
fulget datum divinitus,
ut sanet orbem languidum
medela parcimoniae.

5 Christi decoro lumine
dies salutis emicat,
dum corda culpis saucia
reformat abstinentia.

9 Hanc mente nos et corpore,
Deus, tenere perfice,
ut appetamus prospero
perenne pascha transitu.

13 Praesta, Pater (*ut n.* 90).

A. ignotus – Saltem saec. X – Metr.

Chev. 12606 – Thes. IV, 217; AH, LI, 56.

Ad Christum

Iam, Christe, sol iustitiae,
mentis dehiscant [1] tenebrae,
virtutum ut lux redeat
terris diem cum reparas.

5 Dans tempus acceptabile
et paenitens cor tribue,
convertat ut benignitas
quos longa suffert pietas;

9 Quiddamque paenitentiae
da ferre, quo fit demptio,
maiore tuo munere,
culparum quamvis grandium [2].

13 Dies venit, dies tua,
per quam [3] reflorent omnia;
laetemur in hac ut tuae
per hanc reducti gratiae [4].

17 Te rerum universitas,
clemens, adoret, Trinitas,
et nos novi per veniam
novum canamus canticum. Amen.

A. ignotus – *Saec. VI* (Szöv.) (*O sol salutis, intimis*) – *Metr.* (cum frequenti licentia syll. brevis antepaenult. et non computatae elisionis syll. finalis *-um*).

Chev. 9205; Jul. 576; Szöv. II, 452 – Thes. I, 235; IV, 218; AH, II, 43; LI, 59 – Brevv.: Ben., Carm., Cist., Pm., Praed., Vat.; Ambr. habet alium: *Iam, Christe, tolle mentium* (Chev. 9208) quo hunc ad normam metri corrigere voluerunt, non tamen ab eo discedentes sicut correctores Urbaniani qui omnia in eo perverterunt; notandum vero quam incommode Ambr. post str. doxologicam *Te prona tellus...* addat communem doxol. *Patri simulque Filio...*

[1] Ita, recte, AH, Praed., Vat.; cett. *diescant.*

[2] *Quiddamque paenitentiae / da ferre, quamvis grandium / maiore tuo munere / quod demptio sit criminum* AH; nec paucae lectiones variae aliorum cdd. aliquid claritatis addunt huic str. nimis contortae; quam, ne auferretur, ita correx.

[3] Ita AH, Vat.; *in qua* cett.

[4] *ut tuae... gratiae* AH, Vat.; *ad tuam ... gratiam* cett.

HORTATIO AD MEMORANDAM CHRISTI PASSIONEM

Dei fide, qua vivimus,
spe qua perenni[1] credimus,
per caritatis gratiam
Christi[2] canamus gloriam:

5 Qui ductus hora tertia
ad passionis hostiam,
crucis ferens suspendia
ovem reduxit perditam.

9 Precemur ergo subditi,
redemptione liberi,
ut eruat a saeculo
quos solvit a chirographo.

13 Christum rogamus (III).

A. ignotus – Saltem saec. VIII – Metr.

Chev. 4323 – Thes. I, 71; PL, XVII, 1197; AH, LI, 64; Bulst, 113; Vogel, 34.

[1] *spe perenni qua* Thes., AH, quod videtur mendosum in hoc h. metrico; *qua* om. Bulst, Vogel, magis mendose; *qua* enim exigitur ipso sensu, tum etiam metro ac numero syll., denique symmetria cum v. praec.
[2] *Christo* Thes.

Temp. Quadrag. (*et Pass.*) - *Sext.* **94**

HORTATIO AD MEMORANDAM CHRISTI PASSIONEM

Qua Christus hora sitiit
crucem vel in qua subiit,
quos praestat in hac psallere
ditet siti iustitiae:

5 Quibus sit et esuries,
quam ipse de se satiet,
crimen sit ut fastidium
virtusque desiderium.

9 Charisma Sancti Spiritus
sic influat psallentibus,
ut carnis aestus frigeat
et mentis algor ferveat.

13 Christum rogamus (III).

A. ignotus – Saltem saec. X – Metr. (cum aliqua licentia in antepaenult. syll.).

Chev. 15840 – Thes. I, 169; AH, LI, 65.

Hortatio ad memorandam Christi passionem

Ternis ter horis numerus
nobis sacratus [1] panditur:
nunc Trinitatis nomine
munus precemur veniae.

Latronis, en, confessio
Christi meretur gratiam;
laus nostra vel devotio
mercetur [2] indulgentiam.

Mors per crucem nunc interit
et post tenébras lux redit;
horror dehiscat criminum,
splendor nitescat mentium.

Christum rogamus (iii).

A. ignotus – Saltem saec. X – Metr.

Chev. 20356 – Thes. I, 73; PL, XVII, 1198; AH, LI, 66.

[1] *sacrae fidei* orig.; lect. nec clara nec bene sonans rhythmice; quare mut.
[2] *meretur* Thes.

Laudes crucis

Vexilla regis prodeunt,
fulget crucis mysterium,
quo [1] carne carnis conditor
suspensus est patibulo [2];

Quo [3], vulneratus insuper
mucrone diro lanceae,
ut nos lavaret crimine,
manavit und*a* et sanguine.

Impleta sunt quae concinit
David fideli carmine
dicendo [4] nationibus:
« Regnavit a ligno [5] Deus ».

Arbor decor*a* et fulgida,
ornata regis purpura,
electa digno stipite
tam sancta membra tangere.

Beata, cuius brachiis
*preti*um pependit saeculi [6],
statera fact*a* est [7] corporis
praedam tulitque tartari [8].

Salv*e* [9], ara, salve, victima,
de passionis gloria,
qua Vita mortem pertulit
et morte vitam reddidit.

O [10] crux, ave, spes unica!
Hoc passionis tempore
piis adauge gratiam
reisque dele crimina.

Te [11], fons salutis, Trinitas [12],
collaudet omnis spiritus;
quos per crucis mysterium
salvas, fove per saecula [13].

Venantius Fortunatus († saec. VII in.) – *Metr.*

Chev. 21481; Jul. 1219; Szöv. I, 434; II, 485 – Thes. I, 160; PL, LXXXVIII, 95; Leo, 34; AH, L, 74; Bulst, 129 – Brevv.: Ambr., Ben., Carm., Cist., Pm., Praed., Vat.

[1] *quo – patibulo*] *qua Vita mortem pertulit / et morte vitam reddidit* Ambr., qui vv. sunt seq. str. *Salve, ara;* item Brev. Rom., ubi tamen habetur *protulit* pro *reddidit.*

[2] Syll. *–ti* poeta longam computavit.

[3] Omissa antiquitus est 2ª str. *Confixa clavis viscera, / tendens manus, vestigia, / redemptionis gratia / hic immolata est hostia.*

[4] Ita, recte, Leo, AH, Bulst, Ambr., Vat.; cett. *dicens: In*, certe mendose, cum 3ª syll. longa.

[5] Ita legebat poeta Ps. 95, 10 in psalterio Romano, quo tunc plurimi utebantur (cf. R. Weber, Le psautier romain, Roma 1953, p. 237,); unde non audemus supprimere str. nec mutare v.

[6] Ita Leo, AH, Bulst, Vat., quae lectio Fortunati censeri potest; v. tamen una syll. excedit, quod fastidium in cantu parit; quare Ambr. mutavit: *salus pependit saeculi*; alia Brevv. *saecli pependit pretium*, cum mendosa antepaenult. brevi; sed huic defectui Fortunatus indulgeret, sicut indulsit illi suo *patibulo* v. 4; unde, cum talis v. sit rhythmo ac sono aptior, praeferri fortasse posset.

[7] *est* addit Leo, AH, Bulst, Ambr., Vat.; v. tamen evadit durior.

[8] Ita Leo, AH, Bulst; sed propter positionem minus naturalem illius *–que* (frequentem tamen in car-

minibus auctorum veterum), Brev. Rom. et Ambr. inverterunt *tulitque praedam tartari;* cett. Brevv.: *praedamque tulit tartari,* cum mendo syll. brevis *tu–*.

[9] Hanc str. Fortunati, tam pulchram, nollemus amitti; alia vero ante ipsam antiquitus omissa est: *Fundis aroma cortice, / vincis sapore nectare, / iucunda fructu fertili / plaudis triumpho nobili.*

[10] Haec str., tam nota et cara, non est Fortunati; 3[us] et 4[us] v. in antiquis Brevv. sonant: *auge piis iustitiam / reisque dona veniam;* qui propter metri defectus, in Rom. et Ambr. sunt mutati sicut et nos apposuimus, amore metri in h. metrico.

[11] Etiam haec str. doxologica addita postea est, et ita sonat in antiquis Brevv.: *Te summa, Deus, Trinitas, / collaudet omnis spiritus; / quos per crucis mysterium / salvas, rege per saecula*; metrice aliquantulum peccantem, Brev. Rom. valde mutavit.

[12] Ita excepim. e Brev. Rom., ob defectum metri in *Deus.* Poterat autem proponi: *Te, summa, semper, Trinitas.*

[13] Ad medendum defectui metrico in *regĕ*, subst. *fovē* ex nota doxol. s. Ambrosii.

Laudes crucis

Pange, lingua, gloriosi
proelium certaminis,
et super crucis tropaeo [1]
dic triumphum nobilem,
qualiter redemptor orbis
immolatus vicerit.

De parentis protoplasti
fraude factor condolens,
quando pomi noxialis
morte morsu [2] corruit,
ipse lignum tunc notavit,
damna lign*i* ut solveret.

Hoc opus nostrae salutis
ordo depoposcerat,
multiformis perditoris [3]
art*e* [4] ut artem falleret,
et medelam ferret inde,
hostis unde laeserat.

Quando venit ergo sacri
plenitudo temporis,
missus est ab arce Patris
Natus, orbis conditor,
atque ventre virginali
carne [5] factus prodiit [6].

Lustra sex qui iam peracta [7]
tempus implens corporis,
se volente, natus ad [8] hoc,
passioni deditus,
agnus in crucis levatur
immolandus stipite.

Aequa Patri Filioque,
inclito Paraclito,
sempiterna sit beatae
Trinitati gloria;
cuius alma nos redemit
atque servat gratia [9].

Venantius Fortunatus – Metr.

Est haec prior pars h.; altera ad Ld.

Chev. 14481; Jul. 880; Szöv. I, 431; II, 478 – Thes. I, 163; PL, LIII, 785; LXXXVIII, 88; Leo, 27; AH, L, 71; Bulst, 128 – Brevv.: Ben., Carm., Cist., Pm., Praed., Vat.

[1] Haec forma recta.

[2] Ita, recte, Leo, AH, Bulst, Vat.; cett. *morsu in mortem,* metrice mendosum.

[3] Ita Leo, AH, Bulst, Vat.; cett. *proditoris.*

[4] Ita Leo, AH, Bulst, Vat.; cett. *ars,* quod tamen plurimis cdd. perhibetur et melius sonat, nec a sensu aberrat.

[5] Ita Leo, AH, Bulst, Vat.; quod, si bene intellegitur, non est contra fidem; si tamen omnem velimus ambiguitatem expellere, poni possit *caro,* ut passim in Brevv.; metrice tamen mendosum.

[6] Om. seq. str., tum ad brev., tum quia non optime, ut videtur, claudit hanc priorem partem h., qui celebrat passionem crucis; add. vero primam e str. quae hucusque ad Ld. dicebantur, cum bene hic conveniat et male ibi, iuxta hanc orig. lect., introducat h., praesertim ob illud *qui.*

[7] Ita Thes., Leo, AH, Bulst, Vat.; quae lect. optime metro convenit. Etsi fortasse agitur de nominativo

vel accusativo absoluto, hic tamen *tempus corporis* bene accipi potest tamquam praedicativum obiecti *lustra peracta;* scil. haec constructio praeberi potest: *qui iam implens lustra sex peracta* (tamquam) *tempus corporis* sui, passioni praefinitum. Brevv. passim male correxerunt: *Lustris sex qui iam peractis,* quae lect. metrice mendosa est; melius Brev. Rom.: *Lustra sex qui iam peregit.*

[8] Hanc licentiam metr. sibi poeta concessit.

[9] Doxol. non est Fortunati; in antiquis Brevv. haec circumfertur: *Gloria et honor Deo / usquequaque altissimo, / una Patri Filioque, / inclito Paraclito, / cui laus est et potestas / per aeterna saecula,* quae tamen non paucis mendis metr. scatet, et generica est. Quae vero in Brev. Rom. reformata est, quamvis recta iuxta metrum, aliquatenus resoluta procedit atque est et ipsa generica. Novam igitur propon., quae tribus vv. e Rom. utitur, uno e Brevv., duobus a nobis compositis ad memorandam redemptionem.

Laudes crucis

En [1] acetum, fel, arundo,
sputa, clavi, lancea;
mite corpus perforatur,
sanguis, unda profluit;
terra, pontus, astra, mundus
quo lavantur flumine!

Crux fidelis, inter omnes
arbor una nobilis,
nulla talem silva profert
flore, fronde [2], germine!
Dulce lignum dulci [3] clavo
dulce pondus sustinens [4]!

Flecte ramos, arbor alta,
tensa laxa viscera,
et rigor lentescat ille
quem dedit nativitas,
ut superni membra regis
miti [5] tendas stipite.

Sola digna tu fuisti
ferre *preti*um saeculi [6]
atque portum praeparare
nauta mundo naufrago,
quem sacer cruor perunxit
fusus Agni corpore.

Aequa Patri Filioque (*ut n.* 97).

Est h. Fortunati altera pars; cf. adnotationes ad h. praec.

[1] *Hic* orig.; quod necessario mut. ad rite introducendum novum h.

[2] Ita Leo, AH, Bulst, Vat.; cett. *fronde, flore.*

[3] *dulce* Leo, AH, Bulst, Vat., quod tamen casu ablat. est, sicut inferius *mite* (et meminisse iuvabit a poetis antiquis hanc licentiam in adiect. aliquando adhibitam esse; cf. Horat., Carm., III, 14, 8 *supplice vitta*: A. Ernout, Morphologie historique du latin, Paris 1953, p. 57, not. 1). Ad vitandam tamen ambiguitatem, posuimus communem formam *dulci*, quamvis metro non consonam.

[4] *sustinet* Brevv.. passim.

[5] *mite* Leo, AH, Bulst, Vat.; eadem advertenda quae in nota 3.

[6] Ita orig.; antiqua Brevv. *saecli pretium*, quae lect. corrigit redundantiam unius syll. in v. parientem fastidium in cantu, sed metrum offendit, defectu tamen levissimo, quem poeta alibi sibi permisit: cf. *Vexilla regis*, v. 4; unde haec lect. excipi posset.

LAUDES CHRISTI

Celsae salutis gaudia
mundus fidelis iubilet:
Iesus, redemptor omnium,
mortis peremit principem.

5 Palm*ae* et olivae surculos
coetus viando deferens,
« Hosanna David filio »
claris frequentat vocibus.

9 Nos[1] ergo summo principi
curramus omnes obviam;
melos canentes gloriae,
palmas geramus gaudii[2].

13 Cursusque nostros lubricos
donis beatis sublevet[3],
grates ut omni tempore
ipsi[4] feramus debitas.

17 Deo Patri (IV).

A. ignotus – Circa saec. X? – Metr.

Selectae sunt strophae 1, 3, 8, 9, tum ad brev., tum quia aptiores visae sunt.

Chev. 2748 – AH, XIV, 70; Jah. II, 59.

[1] *Huic* edd., quod aliquantulum difficultatis in cantu praeberet, cum computandum sit ut una syll.; *nos* insuper symmetrice stat cum *coetus* str. praec.

[2] *sobrias* edd., quod tamen vocab. non videtur hic aptum; *gaudii*, quod subst., symmetrice stat cum *gloriae* v. praec.: *melos gloriae, palmas gaudii.*

[3] *subleva* edd., quae directa oratio in Christum, statim superveniens per illud *Cursusque*, non bene cohaeret cum textu praec.; unde redegimus in 3^{am} personam.

[4] *tibi* edd.; quod mut. ob rationem expositam.

TEMPORE PASCHALI

Temp. Paschali - *In Dominicis* - *Vp.* **100**

Laudes Christi resurgentis

Ad cenam Agni providi
et[1] stolis albis candidi,
post transitum maris Rubri
Christo canamus principi.

Cuius corpus sanctissimum[2]
in ar*a* est[3] crucis torridum;
cruore eius roseo
gustando, vivimus Deo,

Protecti paschae vespero[4]
a devastante angelo,
erepti de durissimo
Pharaonis imperio.

Iam pascha nostrum Christus est,
qui immolatus agnus est;
sinceritatis azyma
caro eius oblata est.

O vera[5], digna hostia,
per quam franguntur tartara,
captiva plebs redimitur,
redduntur vitae praemia[6].

Consurgit[7] Christus tumulo,
victor redit de barathro,
tyrannum trudens[8] vinculo
et paradisum reserans[9].

Esto[10] perenne mentibus
paschale, Iesu, gaudium,
et nos renatos gratiae
tuis triumphis aggrega.

Iesu, tibi (x)[11].

A. ignotus – Saec. V-VI – Rhythm.

Chev. 110; Jul. 11; Szöv. I, 421; II 458 (*Ad regias Agni dapes*) – Thes. I, 88; PL, XVII, 1207; AH, LI, 87; Bulst, 116; Vogel, 41 – Brevv.: Ben., Carm., Cist., Pm., Praed., Vat.

[1] Omitt. AH, Bulst, Vogel, Vat., certe mendose, cum ita una syll. versui desit; *et* legunt Thes. et antiqua Brevv., ceterum cum compluribus mss. bonae notae.

[2] *sacrum corpusculum* AH, Bulst, Vogel, Vat.; quae lect., etiam si dici possit authentica, non tamen hodie accipienda videtur, cum illud *corpusculum*, quod certe est affectivum, facile intellegatur ut quantitativum.

[3] Deest apud edd.; sed str. obscuritate laborat propter anacoluthon illius *corpus s.* non habentis praedicatum; clarescit autem adiecto *est* cum facili elisione.

[4] Ita AH, Vat., ac recte, cum requiratur ex assonantia cum vocabulo *angelo* v. seq. (quae assonantia in h. constans est); Bulst, Vogel *vesperum;* Brevv. passim cum Thes. *vespere.*

[5] Ita Bulst, qua lect. tribuitur *hostiae* sensus efficacior ac densior; cett. *vere.*

[6] Vv. 2-4 huius str. ita in mss. et edd. sonant: *per quam fracta sunt tartara, / redempta plebs captivata, / reddita vitae praemia.* At intolerabile est illud *captiváta*, in recitatione et in cantu proferendum *captívata.* Quare aliqua immutatio necessaria hic apparet, et proponi posset: *redempta plebs iam perdita*, vel simile. Sed, ad servandum sensum « captivitatis », relatum ad « redemptionem », redux. verba ad tempus gramm. praesens et v. ita construx. ut fere eadem vocab. maneant et rhythmus melius procedat; si deest assonantia in *redimitur*, adv. illam deesse etiam vv. 15, 24.

[7] *Cum surgit* Thes., AH, Vogel.

[8] *tradens* Carm., cum aliquo ms.

[9] *reserans paradisum* Thes., AH, Bulst, Vogel, Praed.; quae lect. difficultatem praeberet eandem quam v. superior cum *captiváta*. Ceterum non videtur lectio certo authentica, cum desit assonantia cum praec. *vinculo*; quare praetulimus lect. in antiquis Brevv. usitatam, quamvis et ipsa careat assonantia.

[10] Hic exhibetur a Bulst str. quae passim in Brevv. adici solet h. paschalibus, quamque nescimus an putare debeamus huius h. propriam: *Quaesumus, auctor omnium, / in hoc paschali gaudio / ab omni mortis impetu / tuum defende* (vel *defendas*) *populum.* Ipsa vero non solum, cum sit tantum rhythm., male aptatur h. metricis, sed etiam videtur precationem aliquo modo angustam continere pro tanti mysterii festivitate. Recte igitur revisores Urbaniani hanc communem str. immutaverunt; nec quidem, ut putamus, prava ratione: *Ut sis perenne mentibus / paschale, Iesu, gaudium, / a morte dira criminum / vitae renatos libera.* Magis tamen velimus ut effectus positivus vitae et gratiae et gloriae per mysterium paschale allatus in hac saepe repetita str. exprimatur; unde ausi sumus hanc novam proponere, quae partim fruitur Brev. Rom.

[11] Brevv. antiqua passim exhibent doxol. rhythm.: *Gloria tibi, Domine, / qui surrexisti a mortuis, / cum Patre et Sancto Spiritu / in sempiterna saecula.* Haec autem non congrua videtur quando h. sit metricus, neque opportunum est ut doxol. paschalis varietur pro qualitate metrica hymnorum. Doxol. autem Brev. Romani: *Deo Patri sit gloria / et Filio qui a mortuis / surrexit, ac Paraclito / in sempiterna saecula* non placet propter asperam elisionem *qui a*, et abscisionem verbi *surrexit*, in 3° versu, a sua propositione 2ⁱ v. quae suspensa efficitur. Necessarium igitur duximus ut conficeretur doxol. metrica, quae posset ubique bene inveniri, et clare referretur ad mysterium paschale; inter varias autem propositas, hanc periti praetulerunt.

Laudes Christi resurgentis

Hic est dies verus Dei
sancto serenus lumine,
quo diluit sanguis sacer
probrosa mundi crimina,

Fidem refundens perditis
caecosque vis*u* illuminans.
Quem non gravi solvit metu
latronis absolutio?

Opus[1] stupent et angeli,
poenam videntes corporis
Christoqu*e* adhaerentem reum
vitam beatam carpere.

Mysterium mirabile,
ut abluat mundi luem,
peccata tollat[2] omnium
carnis vi*tia*[3] mundans caro.

Quid hoc potest sublimius,
ut culpa quaerat gratiam,
metumque solvat caritas
reddatque mors vitam novam[4]?

Esto perenne mentibus
paschale, Iesu, gaudium,
et nos renatos gratiae
tuis triumphis aggrega.

Iesu, tibi (x).

S. Ambrosius – *Metr.*

Chev. 7793; Szöv. I, 427 – Thes. I, 49; PL, XVII, 1183; Bir. 63; AH, L, 16; Bulst, 47; Sim. 52; Vogel, 40 – Brev. Ambr.

[1] Om. 3am str., sensu et sono duriorem, etiam ad brev.

[2] *tollit* Thes.

[3] V. una syll. redundat; posset substitui *malum, scelus,* vel simile.

[4] Om. duas ultimas str. ad brev. et ob earum aliquam asperitatem. Sonant autem: *Hamum sibi mors devoret / suisque se nodis liget, / moriatur ut vita omnium, / resurgat ut vita omnium. // Cum mors per omnes transeat, / omnes resurgant mortui, / consumpta mors ictu suo / perisse se solam gemat.* (Strictim autem nunc notandum quod v. *moriatur*... ita legendus est, quamvis mss. et edd. illud *ut* omiserint, cum id exigat metrum perfectissime ab Ambrosio hic observatum, et idem confirmetur parallelismo versus seq.).

Laudes Christi resurgentis

Aurora lucis rutilat,
caelum laudibus intonat,
mundus exsultans iubilat,
gemens infernus ululat,

Cum rex ille fortissimus,
mortis confractis viribus,
pede conculcans tartara
solvit catena[1] miseros.

Ille, qui clausus lapide
custoditur sub milite,
triumphans pompa nobili[2]
victor surgit de funere.

Solutis iam gemitibus
et inferni doloribus,
quia surrexit Dominus
resplendens[3] clamat Angelus.

Esto perenne mentibus
paschale, Iesu, gaudium,
et nos renatos gratiae
tuis triumphis aggrega.

Iesu, tibi (x).

A. ignotus – Saec. IX – Rhythm.

Chev. 1644; Jul. 94; Szöv. I, 423; II, 460 (*Aurora caelum purpurat*) – Thes. I, 83; PL, XVII, 1203; AH, LI, 89; Bulst, 114; Vogel, 39 – Brevv.: Ben., Carm., Cist., Pm., Praed., Vat.

[1] Ita AH, Bulst, Vogel, Vat.; Thes. et Brevv. passim *a poena*.

[2] *nobile* Bulst, iuxta formam ablativi media aetate frequentem.

[3] *splendens* AH, Bulst, Vogel, quae lectio toleranda non est, cum versui desit una syll.; Thes. cum cett., iuxta complures fontes, *resplendens*.

Ad Christum

I. O rex aeterne[1], Domine,
rerum creator omnium,
qui eras[2] ante saecula
semper cum Patre Filius:

5 Qui mundi in primordio
Adam plasmasti hominem,
cui tuae imagini[3]
vultum dedisti similem:

9 Quem *dia*bolus deceperat
hostis humani generis;
cuius tu formam corporis
assumere dignatus es,

13 Ut hominem redimeres
quem ante iam plasmaveras[4],
et nos Deo coniungeres
per carnis contubernium:

17 Quem editum ex Virgine
pavescit omnis anima;
per quem et[5] nos resurgere
devota mente credimus[6]:

21 Qui nobis in baptismate[7]
donasti indulgentiam,
qui tenebamur vinculis
ligati conscientiae:

25 Qui crucem propter hominem
suscipere dignatus es,
dedisti tuum sanguinem
nostrae salutis pretium.

29 Esto perenne mentibus...
33 Iesu, tibi (x).

II. O rex aeterne, Domine,
semper cum Patre Filius,
Adam plasmasti hominem
iuxta tuam imaginem.

5 Quem diabolus deceperat
hostis humani generis,
eius et formam corporis
sumpsisti tu de Virgine.

9 Tu crucem propter hominem
suscipere dignatus es;
dedisti tuum sanguinem
nostrae salutis pretium.

13 Ut mortis debitoribus
vitae donares munera,
resurrexisti fulgidus
tuae virtutis dextera[8].

17 Tu nobis in baptismate
donasti indulgentiam;
per te et nos resurgere
devota mente credimus.

21 Esto perenne mentibus...
25 Iesu, tibi (x).

A. ignotus – Saec. V-VI – Rhythm.

Hic h. (I), qui memoratur in Regulis Caesarii et Aureliani, afflatu poetico pulcher, pietate et antiquitate commendandus, est tamen pro Officio nimium longus, nec breviari

potest omissione alicuius integrae str. Quare immutatione aliqua indigere videtur; magis quia repetitio pronominis relativi (quod aliquando etiam ambiguitatem gignere potest), singulas str. semper linquit suspensas, et conceptus quidam non ex ordine procedunt vel etiam repetuntur. Unde alium textum (II) proponere audemus, qui brevitati consulat et conceptus eosdem iisdemque verbis conservet, eos tamen ordinans et debita pausa distinguens.

Chev. 17393; 17518; Jul. 957; Szöv. I, 432; II, 453 (*Rex sempiterne caelitum*) – Thes. I, 85; PL, XVII, 1205; AH, LI, 5; Bulst, 92; Vogel, 20 – Brevv.: Ben., Vat.

[1] *rex aeterne* AH, Bulst, Vogel, Vat., quod servari nequit, deficiente una syll.; *rex sempiterne* Brev. Rom. a. 1568; *o rex aeterne* Thes., quae lectio melior videtur, cum facile vocalis initialis *o* exciderit.

[2] *es* Bulst, Vogel, quod theologice magis placeret, sed privat versum una syll.; theologice autem etiam *erat* iustificatur: cf. Io. I, 15; Apoc. IV, 8.

[3] *tui imaginis* Bulst.

[4] Repetitur conceptus v. 6.

[5] Omitt. AH, Bulst, Vogel, Vat.; deesset tamen una syll.

[6] In hac str. non bene conectitur conceptus « pavoris » cum generatione ex Virgine, nec bene anticipatur memoria resurrectionis.

[7] *per baptismum* AH, Bulst, Vogel, Vat., deficiente una syll.; *per baptismata* Thes.

[8] Cum nulla str. in hoc h. paschali insistat in celebranda resurrectione Dni, hanc censuimus inserendam.

Laudes Christi resurgentis

Laetare, caelum, desuper,
applaude, tellus ac mare:
Christus resurgens post crucem
vitam dedit mortalibus.

5 Iam tempus acceptum redit,
dies salutis cernitur,
quo mundus Agni sanguine
refulsit a caligine [1].

9 Mors illa, mortis passio,
est criminis remissio;
illaesa virtus permanet,
victus dedit victoriam.

13 Nostrae fuit gustus spei
hic, ut fideles crederent
se posse post resurgere,
vitam beatam sumere.

17 Nunc ergo pascha candidum
causa bonorum talium
colamus omnes strenue
tanto repleti munere [2].

21 Esto perenne mentibus,
paschale, Iesu, gaudium,
et nos renatos gratiae
tuis triumphis aggrega.

25 Iesu, tibi (x).

A. ignotus – Saec. incerto – Metr.

Hunc hymnum, cuius str. 3, 5-9 ad brev. om., C. Blume (Jah. l. c.) unum ex optimis et pulcherrimis mysterii paschalis carminibus existimat. Neque immerito.

Chev. 10044; Szöv. I, 428 – AH, XIV, 75; L, 113; Jah. II, 100; Fraip. 417.

[1] *nigredine* orig.; quod non videtur placere.
[2] *tantis renatis fratribus* orig., cum relatione ad fratres noviter baptizatos; quod cum hodie non valeat, subst.

LAUDES CHRISTI RESURGENTIS

Chorus novae Ierusalem
cantus novam dulcedinem[1]
promat, colens cum sobriis
paschale festum gaudiis:

Quo Christus invictus leo,
dracone surgens obruto,
dum voce viva personat,
a morte functos excitat.

Quam devorarat improbus,
praedam refundit[2] tartarus;
captivitate libera
Iesum sequuntur agmina.

Triumphat ille splendide
et dignus amplitudine,
soli polique patriam
unam facit rem publicam.

Ipsum canendo supplices
regem precemur milites,
ut in suo clarissimo
nos ordinet palatio.

Esto perenne mentibus
paschale, Iesu, gaudium,
et nos renatos gratiae
tuis triumphis aggrega.

Iesu, tibi (x).

S. Fulbertus Carnotensis († 1029) – *Metr.*

Chev. 2824; Szöv. I, 423 – Thes. I, 222; PL, CXLI, 352; AH, L, 285 – Brevv.: Carm., Cist., Pm.

[1] *novam meli* orig.; cum *meli* non facile intellegatur, subst.; *nova mellis dulcedine* Carm., iuxta quendam cd.
[2] *refudit* Thes., Carm., Cist.

Memoria Redemptionis Christi

Iam surgit hora tertia,
qua Christus ascendit crucem:
nil insolens mens cogitet,
intendat affectum precis.

5 Qui corde Christum suscipit,
innoxium sensum gerit
votisque praestat sedulis
Sanctum mereri Spiritum.

9 Hinc iam beata tempora
coepere Christi gratia;
*fide*i [1] replevit veritas
totum per orb*em* ecclesias [2].

13 Iesu, tibi (x).

S. Ambrosius – Metr.

Str. 1, 2, 4; cett. omissae ad brev.

Chev. 9400; Szöv. I, 428 – Thes. I, 18; PL, XVI, 1473; Bir. 117-20; AH, L, 12; Bulst, 41; Sim. 28 – Brev. Ambr.

[1] Hoc vocabulo v. abundat una syll.; an substituendum *fide?*
[2] Ad vitandam duram elisionem *-bem eccle-*, substitui posset *in orbe toto ecclesias,* cum elisione facili.

Memoria Redemptionis Christi

Venite, servi, supplices,
et ment*e* et or*e*[1] extollite
dignis beatum laudibus
nomen Dei cum cantico.

Hoc namque tempus illud est
quo[2] saeculorum iudicem
iniusta morti tradidit
mortalium sententia.

Et nos amore debito,
timore iusto subditi,
adversus omnes impetus
quos saevus hostis incutit,

Unum rogemus et[3] Patrem
Deum regemque Filium
simulque Sanctum Spiritum,
in trinitate Dominum.

A. ignotus – Saec. V-VI – Metr.

Ad brev. selectae sunt str. 2, 3, 8, 9 h. *Iam sexta sensim volvitur,* qui memoratur in Regulis Caesarii et Aureliani (saec. VI) pro Sexta temp. pasch.

Chev. 9383; Szöv. I, 428 – Neale, 12-14; Thes. I, 40; IV, 16; PL, XVII, 1178; AH, LI, 17; Bulst, 94.

[1] Ita Thes. IV, 16, recte; *mente ore* AH, Bulst, certe mendosum in hoc h. metrico; *mente et ore* Thes. I, 40, et ipsum mendosum.
[2] *quod* omnes edd.; sed cum *iniusta* (*sententia*) sit casu nominativo, ita corrigendum putavimus.
[3] *nunc* substituit AH.

Memoria Redemptionis Christi

Haec hora, quae resplenduit
crucisque solvit nubila,
mundum tenébris exuens,
reddens serena lumina.

5 Haec hora, qua resuscitans
Iesus sepulcris corpora,
prodire mortis libera
iussit refuso spiritu.

9 Novata saecla credimus[1]
mortis solutis legibus,
vitae beatae munera
cursum perennem currere.

13 Iesu, tibi (x).

A. ignotus – Saec. V-VI – Metr.

Ad brev. selectae sunt str. 3, 4, 6 h. *Ter hora trina volvitur*, qui memoratur in Regulis Caesarii et Aureliani.

Chev. 20340; Szöv. I, 434 – Thes. I, 41; IV, 17; PL, XVII, 1179; AH, LI, 18; Bulst, 96.

[1] *credere* orig., dependenter a str. praec. omissa; ideo necessario sic paululum mut.

Ad Christum

Iesu, redemptor[1] saeculi,
Verbum Patris altissimi,
lux lucis invisibilis,
custos tuorum pervigil:

5 Tu fabricator omnium
discretor atque temporum,
fessa labore corpora
noctis quiete recrea.

9 Te deprecamur supplices
ut nos ab hoste liberes,
ne valeat seducere
tuo redemptos sanguine:

13 Ut, dum gravati[2] corpore
brevi manemus tempore,
sic caro nostra dormiat,
ut mens soporem nesciat.

17 Iesu, tibi (x).

A. ignotus – Saltem saec. X – Metr. (cum aliqua licentia).

Chev. 9649; Jul. 594 – AH, LI, 43 – Brev. Carm.

[1] In alia recensione *salvator* (cf. Chev. 9680).

[2] *gravi in* edd.; sic paululum mut. p. rh. et ad vitandum hiatum.

Ad Christum

Iesu, nostra redemptio,
amor et desiderium,
Deus creator omnium,
homo in fine temporum,

5 Quae te vicit clementia,
ut ferres nostra crimina,
crudelem mortem patiens,
ut nos a morte tolleres;

9 Inferni claustra penetrans,
tuos captivos redimens;
victor triumpho nobili
ad dextram Patris residens[1]?

13 Ipsa te cogat pietas,
ut mala nostra superes
parcend*o*, et voti compotes
nos tuo vultu saties.

17 Tu esto nostrum gaudium,
qui es futurus praemium;
sit nostra in te gloria
per cuncta semper saecula[2].

Amen.

A. ignotus – Saec. VII-VIII – Rhythm.

Chev. 9582; Jul. 592; Szöv. I, 428; II, 453 (*Salutis humanae sator*) – Thes. I, 63; PL, XVII, 1192; AH, LI, 95; Jah. II, 136 – Brevv.: Ben., Carm., Cist., Pm., Praed., Vat.

[1] Si susciperetur lect. quorundam fontium *resides*, melius procederet constructio grammatica.
[2] Non opus est alia doxol.

Ad Christum

Aeterne rex, altissime,
redemptor et fidelium,
quo mors soluta deperit,
datur triumphus gratiae,

5 Scandis [1] tribunal dexterae
Patris tibique caelitus
fertur potestas omnium [2],
quae non erat humanitus [3].

9 Tu, Christe [4], nostrum gaudium,
manens perenne [5] praemium [6],
mundi regis qui fabricam,
mundana vincens gaudia.

13 Hinc te precantes quaesumus,
ignosce culpis omnibus
et corda sursum subleva
ad te superna gratia:

17 Ut, cum rubente [7] coeperis
clarere nube iudicis,
poenas repellas debitas,
reddas coronas perditas.

21 Iesu, tibi sit gloria,
qui scandis ad caelestia,
cum Patr*e* et almo Spiritu
in sempiterna saecula [8].

A. ignotus – Saec. V? – Metr.

Chev. 654; Jul. 27; Szöv. II, 459 – Thes. I, 196; IV, 79; PL, LXXXVI, 653; AH, LI, 94 – Brevv.: Ben., Carm., Cist., Pm., Praed., Vat.

[1] *scandens* edd., concordans cum vocativo *Aeterne rex;* quod tamen constructionem implicat.

[2] *Patris, potestas omnium / collata est, Iesu, caelitus* Thes., AH, Pm., Vat.; cett. omitt. *est,* quod certe additum est ad perspic., sed vitiose in hoc h. metrico; praeterea lectio *Iesu,* si sine virgulis (ut apud quosdam), accipi posset ut casu dativo et constructionem contorqueret; si intra virgulas, non clare exprimit cui potestas data sit; ideo mut.

[3] Duas sequentes str.: *Ut trina rerum machina, / caelestium, terrestrium / et inferorum, condita / flectat genu iam subdita. // Tremunt videntes angeli / versam vicem mortalium: / culpat caro, purgat caro, / regnat Deus Dei caro* om. ad brev., et quod conceptus habent vel obscuros vel postea exhibitos vel nimio lusu verborum (*caro...*) expressos.

[4] *esto* Ben., Cist., Pm.; qua lect. reproducitur v. h. *Iesu nostra redemptio,* cum pravo hiatu in hoc h. metrico.

[5] *olympo* mss. et edd.; quod vocab., cum sapiat mythologiam, iuxta Concilii mentem expunx.

[6] Ita Carm., Cist., Pm., Praed., iuxta AH, II, 48; *praeditum* Thes., AH, LI, 94, Ben., Vat., quod tamen obscurum est; cum vero expunctum sit *olympo,* subst. *praemium,* cum adiectivo *perenne.*

[7] Ita Thes., AH; *repente* passim Brevv.

[8] Cum h. sit metricus, expedit ut etiam doxol. metro adhaereat; unde reicienda doxol. antiquorum Brevv.: *Gloria tibi, Domine, / qui scandis super sidera / cum Patre et Sancto Spiritu...*; ideo doxol. accepimus ex Brev. Rom., excepto 2° v.: *qui victor in caelum redis,* cum minus rhythmice sonet.

Laudes Christi ascendentis in caelum

Optatus votis omnium
sacratus illuxit dies,
quo Christus, mundi spes, Deus,
conscendit caelos arduos.

5 Magni triumphum [1] proelii,
mundi perempto principe,
Patris praesentans [2] vultibus
victricis carnis gloriam,

9 Est elevatus nubibus
et spem fecit credentibus,
iam paradisum reserans [3]
quem protoplasti clauserant [4].

13 O grande cunctis gaudium,
quod partus nostrae [5] Virginis
post sputa, flagra, post crucem
paternae sedi iungitur.

17 Agamus ergo gratias
nostrae salutis vindici,
nostrum quod corpus vexerit
sublim*e* [6] ad caeli regiam.

21 Sit nobis cum caelestibus
commune manens gaudium:
illis, quod semet obtulit [7],
nobis, quod se non abstulit.

25 Nunc [8], Christe, scandens aethera
ad te cor nostrum subleva,
tuum Patrisque Spiritum
emittens nobis caelitus. Amen.

A. ignotus – Saltem saec. X – Rhythm.

Ad brev. omis. str. 2 et 8.

Chev. 14177; Jul. 872 – Thes. I, 62; PL, XVII, 1192; AH, LI, 92 – Brev. Cist., a str. *O grande...*

[1] Ita Thes. iuxta complures cdd., qua lect. *triumphum* exhibetur ut appositio illius *gloriam*; *magno triumpho* AH.

[2] *praesentat* Thes.

[3] *aperiens paradisum* Thes., AH, quae dura lect., cum paenult. longa, tolerari nequit; unde mut.

[4] *protoplastus clauserat* Thes.

[5] Pulcherrima dictio, scil. *nostrae naturae, ad nos pertinentis*, unde nescimus cur aliquando mutata sit: *almae*.

[6] *sublimem* Thes., AH, Cist., cum aspera elisione; unde mut. adiectivum in adverbium.

[7] *se praesentavit* Thes., AH, Cist., quae lect. intoleranda propter longam paenult.; *semet obtulit* legitur in Processionali Monastico Solesmensi (1893), p. 85.

[8] Haec peculiaris doxol. legitur in quibusdam mss. et digna nobis visa est quae hunc h. concludat, paucis variationibus inductis.

Ad Spiritum Sanctum

Veni, creator Spiritus,
mentes tuorum visita,
imple superna gratia,
quae tu creasti, pectora.

Qui diceris Paraclitus [1],
donum Dei altissimi [2],
fons vivus, ignis, caritas
et spiritalis unctio.

Tu septiformis munere,
dextrae Dei tu digitus [3],
tu rite promissum [4] Patris
sermone ditans guttura.

Accende lumen sensibus,
infund*e* amorem cordibus,
infirma nostri corporis
virtute firmans perpeti.

Hostem repellas longius
pacemque dones protinus,
ductore sic te praevio
vitemus omne noxium.

Per te sciamus da Patrem
noscamus atque Filium,
te utriusque Spiritum
credamus omni tempore [5]. Amen.

Compluribus attributus, praesertim Rabano Mauro; *a. incertus – Saec. IX – Metr.*

Chev. 21204; Jul. 1206-10; Szöv. I, 434; II, 454 – Thes. I, 213; IV, 124; PL, CXII, 1657; AH, L, 193 – Brevv. omnia.

[1] *Paraclētus diceris* AH, Ambr., Vat.; Brevv. passim *Paraclitus diceris,* legendum tamen esset *Paraclítus,* cum meliore rhythmo, sed cum licentia metr. illius *Pa-* brevis, cui mendo, in hoc vocab. Graeco, facilius indulgendum; cum vero more nimis vulgato *Paráclitus* dicatur, adhibuimus textum Brev. Rom. *Qui diceris Paraclitus,* rhythmice meliorem.

[2] A. admittit hiatus (cf. etiam v. 19: *te utriusque*), etsi h. metricus est.

[3] Huic quoque levi licentiae metr. parcendum, neque ullo modo admittenda prava correctio Brev. Rom. *Digitus paternae dexterae.*

[4] Ita Thes. et passim Brevv., pleniore sensu; AH, iuxta plerosque cdd., *promisso,* quae correctio videtur ex vocab. neutro *promissum* non rite intellecto.

[5] Haec str. doxologica optime etiam concludit h., sermonem ut toto textu dirigens in Spiritum S.; absona esset quaevis doxol. quae Spiritum S. nunc memoraret in 3^{a} grammat. persona. Expellendo autem hinc quamlibet aliam et extraneam doxol., aufertur etiam omnis difficultas quae hucusque oriebatur cum h. dicendus esset (quod saepissime ac merito fit) extra temp. pasch.

NARRATUR DESCENSUS SPIRITUS S.

Iam Christus astr*a* ascenderat,
regressus [1] unde venerat,
promissa Patris munera [2],
Sanctum daturus Spiritum.

Sollemnis urgebat dies,
quo mystico septemplici
orbis volutus septies
signat beata tempora,

Cum [3] hora cunctis tertia
repente mundo [4] intonat,
apostolis orantibus
Deum venisse nuntians [5].

De Patris ergo lumine
decorus ignis almus est [6],
qui fida Christi pectora
calore verbi compleat [7].

Impleta gaudent viscera,
afflata sancto lumine [8];
voces diversae consonant [9],
fantur Dei magnalia.

Ex omni gente cogitur
Graecus, Latinus, Barbarus [10],
cunctisque admirantibus
linguis loquuntur omnium [11].

Deo [12] Patri sit gloria,
Natoque regi caelitum,
qui Spiritus Paracliti
nobis dedit charismata.

A. ignotus – *Saec. IV-V* – *Metr.* (cum aliq. licentiis, vel fortasse corruptionibus).

Chev. 9215-9216; Jul. 576; Szöv. II, 451 – Thes. I, 64; IV, 83; PL, XVII, 1193; AH, LI, 98 – Brevv. omnia.

[1] Ita Thes., AH, Ambr., Praed., Vat.; *reversus* cett., nullo fulciente ms.

[2] Haec lectio optimorum cdd. plene consonat metro et censeri potest orig.; *promissa P. munera* est appositio illius *Sanctum Spiritum*, et clare intellegitur; *promisso P. munere* AH, *promissum P. munere* cett. sunt correctiones non necessariae.

[3] *Dum* Thes. et passim Brevv.

[4] *Mundus* omnes; quae lect. prava videtur, cum *hora tertia* praec. v. sit casu nominativo, ut metro exigitur; *mundo* mss. AB: de qua AH adnotat: « fortasse originaria lectio ».

[5] Ita AH, Vat.; *nuntiat* cett.

[6] *advenit* Thes., Ambr., Pm.

[7] Carm., Cist., Praed. hic dividunt h., ac 2^am^ partem Laudibus reservant; quod nunc, breviato h., non expedit.

[8] Ita AH, Vat.; cett. *Spiritu*.

[9] Ita AH, Vat.; Thes. et Brevv. passim *voces diversas intonant*.

[10] Ita AH, Ambr.; cett. *cogniti, / Graecis, Latinis, Barbaris.*

[11] Duas seq. str. om., tum ad brev., tum quia verbis asperae sunt et claudunt h. minus apte.

[12] Doxol. adhiberi solet eadem ac in Pasch.; sed praeter defectus quos adnotavimus, incommodum hic habetur quod, memorata Christi resurrectione, nihil peculiare dicitur de Spiritu S. cuius festum colitur. Alia doxol., quae passim in Brevv. usu venit: *Sit laus Patri cum Filio, / Sancto simul Paraclito, / nobisque mittat Filius / charisma Sancti Spiritus,* mendosa est praesertim quod redit conceptu et verbis ad Filium et Spiritum quos nominaverat. Unde hanc novam proponimus, quae alias usitatas refert.

N.B.

His omnibus animadversis, sincere fatendum hunc h., quamvis veneranda traditione fultum, videri omni fere « lyricitate » destitutum, atque nonnisi metricam versionem eorum quae narrantur in Act. Ideo alium addimus qui substitui possit.

LAUDES SPIRITUS S.

Lux iucunda, lux insignis,
qua de throno missus ignis
in Christi discipulos

Corda replet, linguas ditat,
ad concordes nos invitat
cordis, linguae modulos.

Consolator alme, veni,
linguas rege, corda leni;
nihil fellis aut veneni
sub tua praesentia.

Nova facti creatura,
te laudamus mente pura,
gratiae nunc, sed natura
prius irae filii.

Tu qui dator es et donum,
nostri cordis omne bonum,
cor ad laudem redde pronum,
nostrae linguae formans sonum
in tua praeconia.

Tu nos purges[1] a peccatis,
auctor ipse pietatis,
et in Christo renovatis
da perfectae novitatis
plena nobis gaudia. Amen.

Ascribitur Adamo de S. Victore – Rhythm.

Str. 1, 2, 15, 18-20.

Chev. 13509; Jul. 705; Szöv. II, 473 – PL, CXCVI, 1447; Gautier, III, 56; Jah. I, 267; AH, LIV, 239.

[1] *Tu purga nos* edd.; *Tu nos purga* quidam cdd., meliore rhythmo; maluimus *purges* ad vitandum hiatum.

LAUDES SPIRITUS S.

Beata nobis gaudia
anni reduxit orbita,
cum Spiritus Paraclitus
effulsit in discipulos.

5 Ignis vibrante lumine
linguae figuram detulit,
verbis ut essent proflui
et caritate fervidi.

9 Linguis loquuntur omnium;
turbae pavent gentilium,
musto madere deputant
quos Spiritus repleverat.

13 Patrata sunt haec mystice,
paschae peracto tempore,
sacro dierum numero
quo lege fit remissio.

17 Te nunc, Deus piissime,
vultu precamur cernuo:
illapsa nobis caelitus
largire dona Spiritus.

21 Dudum sacrata pectora
tua replesti gratia;
dimitte nunc peccamina[1]
et da quieta tempora.

25 Per te sciamus (XIV).

A. ignotus – *Ante saec. X* – *Metr.* (cum aliqua licentia in antepaenult. syll.).

Chev. 2339; Jul. 120; Szöv. I, 423; II, 463 – Thes. I, 6; PL, LXXXVI, 693; AH, LI, 97; Jah. II, 154 – Brevv.: Ben., Carm., Cist., Pm., Praed., Vat. (Carm., Cist., Praed. ad Vesperas).

[1] *nostra crimina* Brevv. passim.

TEMPORE POST PENTECOSTEN

SS. Trinitatis - *Vp.* 117

AD IPSAM

Adesto, sancta Trinitas,
par splendor, una Deitas,
quae [1] exstas rerum omnium
sine fine principium.

5 Te caelorum militia
laudat, adorat, praedicat;
te triplex [2] mundi machina
benedicit per singula [3].

9 Assumus et nos cernui
te adorantes famuli;
voces precesque supplicum
hymnis iunge caelestium.

13 Unum te lumen credimus,
quod trinum [4] idem colimus,
Alpha et O quem dicimus.
Te laudet [5] omnis spiritus!

A. ignotus – Ante saec. X – Rhythm.

Chev. 487 – Thes. IV, 234; AH, LI, 102 – Brevv.: Carm., Praed.

[1] *qui* AH.
[2] Ita quidam cdd.: quod melius sonat; *triplexque* Thes., AH, Carm., Praed.
[3] *saecula* Thes., Carm., Praed.
[4] *et ter* AH, Carm., Praed.; *ternum* Thes.; melius videtur usitatum *trinum*.
[5] *laudat* Thes., Carm., Praed.

AD IPSAM

O Trinitas laudabilis
et unitas mirabilis,
in simplici substantia
virtus manens intermina:

5 Tu caritas, tu puritas,
tu pax et immortalitas,
Patris, Nati [1], Paracliti
decore pollens perpeti;

9 Amor [2], corona supplicum
in te pie fidentium:
absterge sordes mentium [3],
sorti misertus [4] pauperum.

13 Christum rogamus (III).

A. ignotus – Saec. XIV – Metr.

Chev. 13829 – Mone, I, 4; Thes. IV, 233 – Brev. Praed.

[1] Parcendum mendo metrico, quia ordo div. Personarum non permittebat inversionem ex. gr.: *Nati, Patris, Paracliti.*

[2] *Fides* orig., sensu, ut videtur, *fiduciae;* ideo *fons* vel *obiectum fiduciae nostrae;* ad auferendam difficultatem subst.

[3] V. desumptus ex h. *Caeli Deus sanctissime* (n. 52), v. 14.

[4] *miserta* Mone: scil. *Trinitas*; *misertus* refertur sensu ad Deum, ut saepe fit in h. qui ad Trinitatem diriguntur.

Ad Deum

Aeterna lux, divinitas,
in unitate trinitas,
te confitemur debiles,
te deprecamur supplices.

5 Summum Parentem credimus
Natumque Patris unicum,
et caritatis vinculum,
qui iungit illos Spiritum.

9 O veritas, o caritas,
o finis et felicitas,
sperare fac et credere,
amare fac et consequi.

13 Qui finis et exordium
rerumque fons es omnium,
tu solus es solatium [1],
tu certa spes credentium.

17 Qui cuncta solus efficis
cunctisque solus sufficis,
tu sola lux es omnibus
et praemium sperantibus.

21 Christum rogamus (iii).

A. ignotus – Saec. incerto – Metr.

Chev. 618 – Thes. II, 369.

[1] *Tu solus ens es entium* Thes.: quod nimium scholam sapit, et locutionem facit dictu difficilem; ideo subst. *solatium,* quod servat etiam assonantiam.

Laudes SS. Eucharistiae

Pange, lingua, gloriosi
Corporis mysterium
Sanguinisque pretiosi,
quem in mundi pretium,
5 fructus ventris generosi,
rex effudit gentium.

Nobis datus, nobis natus
ex intacta Virgine,
9 et in mundo conversatus,
sparso verbi semine,
sui moras incolatus
miro clausit ordine.

13 In supremae nocte cenae
recumbens cum fratribus,
observata lege plene
cibis in legalibus,
17 cibum turbae duodenae
se dat suis manibus.

Verbum caro panem verum
verbo carnem efficit,
21 fitque sanguis Christi merum,
et, si sensus deficit,
ad firmandum cor sincerum
sola fides sufficit.

25 Tantum ergo sacramentum
veneremur cernui,
et antiquum documentum
novo cedat ritui;
29 praestet fides supplementum
sensuum defectui.

Genitori Genitoque
laus et iubilatio,
33 salus, honor, virtus quoque
sit et benedictio;
procedenti ab utroque
compar sit laudatio.

S. Thomas Aquinas († 1274) – *Rhythm.*

Chev. 14467; Jul. 878; Szöv. I, 431; II, 478 – Thes. I, 251; AH, L, 586 – Brevv. omnia.

Laudes SS. Eucharistiae

Sacris sollemniis – iuncta sint gaudia,
et ex praecordiis – sonent praeconia;
recedant vetera, – nova sint omnia,
corda, voces et opera.

Noctis recolitur – cena novissima,
qua Christus creditur – agnum et azyma
dedisse fratribus – iuxta legitima
priscis indulta patribus.

Dedit fragilibus – corporis ferculum,
dedit et tristibus – sanguinis poculum,
dicens: « Accipite – quod trado vasculum:
omnes ex eo bibite ».

Panis angelicus – fit panis hominum;
dat panis caelicus – figuris terminum.
O res mirabilis, – manducat Dominum
servus pauper [1] et humilis.

Te, trina Deitas – unaque poscimus;
sic nos tu visitas [2] – sicut te colimus:
per tuas semitas – duc nos quo tendimus
ad lucem quam inhabitas.

S. Thomas Aquinas – Rhythm.

Om. ad brev. str. 3^{am} et 5^{am}, minus lyricas. Str. perfectissimo artificio compositae, procedunt ut in forma asclepiadea; constant ex 6 vv. senariis et uno octonario cum paenult. brevi, et optima consonantia finali (« rima ») iuxta hoc schema: a b, a b, c b, c; syll. finales in *-m* non eliduntur.

Chev. 17713; Jul. 986; Szöv. II, 480 – Thes. I, 252; AH, L, 587 – Brevv. omnia.

[1] Ita AH; quae lect. multo melior apparet quam vulgata *pauper, servus,* cum evidentius opponat *servus* vocabulo *Dominum* et indicet illud *servus* ut substantivum, *pauper* vero et *humilis* ut eius adiectiva.

[2] Ex perfectissima h. structura pro certo haberi potest auctorem scripsisse *visitas* (ut exhibent etiam quidam cdd.), plena consonantia cum *Deitas*, ut in cett. strophis. Ita etiam interpretatio varianda esset: non fit deprecatio (*visita*), sed asseveratio: secundum ardorem et pietatem nostri cultus (*sicut te colimus*), ita tu respondes tua gratia (*sic nos tu visitas*); hac veritate fulti, oramus ut *per tuas semitas...*

Laudes SS. Eucharistiae

Verbum supernum prodiens
nec Patris linquens dexteram,
ad opus suum exiens
venit ad vitae vesperam.

5 In mortem a discipulo
suis tradendus aemulis,
prius in vitae ferculo
se tradidit discipulis.

9 Quibus sub bina specie
carnem dedit et sanguinem,
ut duplicis substantiae
totum cibaret hominem.

13 Se nascens dedit socium,
convescens in edulium,
se moriens in pretium,
se regnans dat in praemium.

17 O salutaris hostia,
quae caeli pandis ostium,
bella premunt hostilia:
da robur, fer auxilium.

21 Uni trinoque Domino
sit sempiterna gloria,
qui vitam sine termino
nobis donet in patria.

S. Thomas Aquinas – Rhythm.

Chev. 21398; Jul. 1218; Szöv. II, 484 – Thes. I, 254; AH, L, 588 – Brevv. omnia.

Ad Christum

Aetern*a* imago Altissimi,
lumen Deus de lumine,
tibi, Redemptor, gloria,
honor, potestas regia.

5 Tu solus ante saecula
spes atque centrum temporum;
tibi volentes subdimur,
qui iure cunctis imperas.

9 O Christe, princeps pacifer,
mentes rebelles subice,
tuoqu*e* amore devios
ovil*e* in unum congrega.

13 Ad hoc cruent*a* ab arbore
pendes apertis brachiis,
diraque fossum cuspide
cor igne flagrans exhibes.

17 Ad hoc in aris abderis
vini dapisqu*e* imagine,
fundens salutem filiis
transverberato pectore.

21 Iesu, tibi sit gloria,
qui corde fundis gratiam,
cum Patr*e* et almo Spiritu,
in sempiterna saecula.

V. Genovesi, S. I., S. Rit. Congr. hymnogr. († 1967) – *Metr.*

Str. 1-2 ex h. *Aeterna* in f. Christi Regis (vv. 1-6, 21-22); str. 3-5 ex h. *Te saeculorum*, ib., (n. 142, str. 3-5). Cum hymni illius festi aliquantulum breviari deberent, vv. ex iis sumpsimus ad hunc conflandum, et solitos de SS. Corde suppressimus, qui fere omnibus invisi erant.

Aeterna imago: Szöv. II, 449; *Te saeculorum*: ibid., 453; a. tamen ibi indicatur ut ignotus.

LAUDES CHRISTI EIUSQUE AMORIS

(I) Dulcis Iesu memoria,
dans vera cordi gaudia,
sed super mel et omnia
eius dulcis praesentia.

(II) Nil canitur suavius,
auditur nil iucundius,
nil cogitatur dulcius
quam Iesus Dei Filius.

(IV) Iesus, dulcedo cordium,
fons veri, lumen mentium,
excedit omne gaudium
et omne desiderium.

(V) Nec lingua potest dicere,
nec littera exprimere,
expertus novit, ténere [1]
quid sit Iesum diligere.

(XII) Experti recognoscite,
amorem pium pascite [2],
Iesum ardentes quaerite,
quaerendo inardescite.

(XLII) Iam prosequamur laudibus
Iesum, hymnis et precibus,
ut nos donet caelestibus
cum ipso frui sedibus.
Amen.

Saepe ascriptus s. Bernardo, cuius spiritum refert;
a. ignotus – Saec. XII ex. – Rhythm.

Str. desumptae sunt e textu « puro » quem perhibet A. WILMART, Le « Jubilus » dit de Saint Bernard, Roma 1944 (Edizioni di Storia e Letteratura, n. 2) et nuperrime edidit H. Lausberg; eorum nn. indicantur initio uniuscuiusque str. Str. ita selectae et dispositae sunt, ut inter se cohaereant sensu et structura in 3ª persona.

De « Iubilo » in varios h. distributo, cf. Chev. 1001, 9525, 9542, 9652; Jul. 585, 587; Szöv. I, 425; II, 466, 472 (*Iesu dulcis m.*).

[1] Ita legit Lausberg, ac recte; fortasse autem *ténere* coniungi posset cum *novit*: « cum animi teneritate novit ».

[2] Ita Wilmart, Lausberg; nec sensus displicet; multi tamen cdd. *poscite*.

Ad Iesum

(xiii) Iesu, auctor clementiae,
totius spes laetitiae,
dulcoris fons et gratiae,
verae cordis deliciae:

5 (iii) Iesu, spes paenitentibus,
quam pius es petentibus,
quam bonus te quaerentibus:
sed quid invenientibus?

9 (xv) Tua, Iesu, dilectio,
grata mentis refectio,
replet sine fastidio
dans famem desiderio.

13 (xxiii) O Iesu[1] dilectissime,
spes suspirantis animae,
te quaerunt piae lacrimae,
te clamor mentis intimae.

17 (x) Mane nobiscum, Domine,
Mane[2] novum cum lumine,
pulsa noctis caligine
mundum replens dulcedine.

21 (xxi) Iesu, summa benignitas,
mira cordis iucunditas,
incomprehensa bonitas,
tua nos stringit caritas.

25 (xxxi) Iesu, flos Matris virginis,
amor nostrae dulcedinis,
tibi laus, honor numinis[3],
regnum beatitudinis.

Hae sunt str. aliae ex « Iubilo », de quo supra ad Off. lect.

[1] *Iesu mi* edd., quod minus cohaeret huic contextui liturgico, ubi sermo est in plurali; ideo mut.

[2] Hoc *Mane* est substant., praedicatum de Domino, ut in h. Ambrosii *Splendor paternae gloriae* (n. 30) *Aurora totus* praedicatur de Filio et de Patre.

[3] Si hoc vocab. videatur ambiguum, possit ita v. substitui: *tibi laus grati carminis.*

2 *febr.*

Praesentat. Dni - *Vp.* **126**

CELEBRATIO MYSTERII ET ORATIO AD B. V. M.

Quod chorus vatum venerandus olim
Spiritu Sancto cecinit repletus,
in Dei factum genetrice constat
esse Maria.

5 Haec Deum caeli Dominumque terrae
virgo concepit peperitque virgo,
atque post partum meruit manere
inviolata.

9 Quem senex iustus Simeon in ulnis
in domo sumpsit Domini, gavisus
ob quod optatum proprio videret [1]
lumine Christum.

13 Tu libens votis, petimus, precantum [2],
regis aeterni genetrix, faveto,
clara quae fundis Geniti potentis
munera lucis [3].

17 Christe, qui lumen Patris es superni,
qui Patris nobis reseras profunda,
nos fac aeternae tibi ferre laudes
lucis in aula [4].

Dubie ascribitur Rabano Mauro († 856) – *Aevo Carolino* – *Metr.*

Chev. 16881; Jul. 947; Szöv. I, 432 – Thes. I, 242; PL, CXII, 1658; AH, L, 206; Chev., Poésie, 172 – Brevv.: Carm., Pm.

[1] *hoc quod optavit proprio videre* Carm., Pm.

[2] Ita Carm., Pm. cum quibusdam mss.; quae lect. melior videtur quam *precantes* AH.

[3] *clara quae celsi retinens olympi / regna petisti* edd. et Brevv.; quae lect. mutanda visa est, tum propter paganum *olympi;* tum propter obscurum *retinens,* quod si legeretur (fortasse melius) *renitens,* repetitio haberetur praec. *clara*; tum propter conceptum assumptionis in caelum aliquo modo nunc extraneum contextui; subst. vv. qui magis videntur mysterio lucis consentanei.

[4] Doxol. communi et genericae subst. novam quae mysterio magis responderet.

CELEBRATIO MYSTERII

Legis sacratae sanctis caeremoniis
subiectus omnis calamo Mosaico
dignatur esse, qui regit perfulgidos
in arce Patris ordines angelicos,
caelumque, terram fundavit ac maria.

Mater beata carnis sub velamine
Deum ferebat umeris castissimis,
dulcia strictis oscula [1] sub labiis
Deique veri hominisqu*e* impresserat
ori, iubente quo sunt cuncta condita.

Hic lumen ardens [2] gentium in oculis,
gloria plebis Israelis germinis;
hic constitutus [3] in ruinam scandali
et in salutem populorum omnium [4],
donec secreta revelentur cordium.

Gloria Patri (VII).

Dubie tribuitur Paulino II Aquileiensi († 882) – *Aevo Carolino* – *Rhythm.*

Ex h. *Refulsit almae;* str. 2, 10 et 4.

Chev. 17084, 17088; Szöv. I, 432 – PL, XCIX, 492; Duemmler, I, 138; AH, L, 132.

[1] *basia* orig.; quod fere insolitum in usu biblico et liturgico, cum sapiat profanitatem, mutandum duximus.

[2] *Fulgensque lumen* orig.; quod paululum mut. aptationis gratia cum contextu.

[3] *positus hic est* orig.; ita parum mut. p. rh., praesertim in cantu.

[4] *Iacob stirpis aureae* orig.; mut. quia ipsius mentio iam v. 2⁰ fuit, et inserenda huc est mentio quoque omnium populorum.

2 *febr.*

Praesentat. Dni - *Ld.* **128**

Laudes mysterii

Adorna, Sion, thalamum,
quae praestolaris Dominum;
sponsum et sponsam suscipe
vigil fidei [1] lumine.

5 Beate senex, propera,
promissa comple gaudia
et revelandum gentibus
revela lumen omnibus.

9 Parentes Christum deferunt,
in templo templum offerunt;
legi parére voluit
qui legi nihil debuit.

13 Offer, beata, parvulum,
tuum et Patris unicum;
offer per quem offerimur,
pretium quo redimimur.

17 Procede, virgo regia,
profer Natum cum hostia;
monet omnes ad gaudium
qui venit salus omnium.

21 Iesu, tibi (xii).

Petrus Abaelardus († 1142) – *Rhythm.*

Ex hymnario Paraclitensi – Off. in Hypapante Dni.

Adorna Sion (I Noct.), str. 1, 4; *Parentes* (II Noct.), str. 1, 2; 3, vv. 1-2; *Omnis sexus* (ad Laud.), str. 1, vv. 3-4.

Adorna: Chev. 516; Szöv. II, 458 – PL, CLXXVIII, 1792; AH, XLVIII, 169.
Parentes: Chev. 14576; Szöv. II, 478 – PL, ib., 1793; AH, ib., 170.
Omnis: Chev. 14141; Szöv. II, 477 – PL, ib., 1794; AH, ib.

[1] *cum cereorum* orig.; potius quam ritum externum, praetul. significandas animi dispositiones.

CELEBRATIO MYSTERII

Agnoscat omne saeculum
venisse vitae praemium;
post hostis asperi iugum
apparuit redemptio.

Isaias quae praecinit
completa sunt in Virgine;
annuntiavit Angelus,
Sanctus replevit Spiritus.

Maria ventre concipit
verbi fidelis semine;
quem totus orbis non capit,
portant puellae viscera.

Adam vetus quod polluit,
Adam novus hoc abluit;
tumens quod ille deicit,
humillimus hic erigit.

Christo sit omnis gloria,
Dei Parentis Filio,
quem Virgo felix concipit
Sancti sub umbra Spiritus[1].

Sunt str. 1-3, 6; ceterae in f. S. Dei Genetricis M. (n. 78). Cf. quae ibi notavimus.

[1] Doxol. communi subst. hanc magis propriam mysterio.

CELEBRATIO MYSTERII

Iam [1] caeca vis mortalium
*vene*rans [2] inanes naenias,
vel æra vel sax*a* algida
vel ligna credebat Deum.

Haec dum sequuntur perfidi,
praedonis in ius venerant
et mancipatam fumido
vitam baráthr*o* immerserant.

Stragem sed istam non tulit
Christus cadentum gentium;
impune ne forsan sui
Patris periret fabrica,

Mortale corpus induit
ut, excitato corpore,
mortis catenam frangeret
*homi*nemque [3] portaret Patri.

Hic ille natalis dies,
quo te Creator arduus
spiravit et lim*o* indidit
Sermone carnem glutinans.

O quanta rerum gaudia
alvus pudica continet,
ex qua novellum saeculum
procedit et lux aurea.

Iesu, tibi (XI).

Prudentius – Metr.

Cathem. XI, 33-52; 57-60.

Hos vv. excerpsimus ad novum conflandum h., qui apte, ut censemus, convenit mysterio.

Szöv. I, 86 – PL, LIX, 892; Berg. 64; Pell. 168; Cunn. 61.

[1] *Nam* orig.; quo verbo introduci h. non poterat.
[2] Hoc verbo v. superabundat una syll.; posset subsitui *colens*.
[3] Etiam hic v. excedit; sed substitutio maior esset; ex. gr. *Patrique nos adduceret*.

CELEBRATIO MYSTERII

Missus ab astris Gabriel innubae
aeterna portat nuntia Virgini,
verbo tumescit latior [1] aethere
alvus replentem saecula continens.

5 Haec virga Iesse, virgo puerpera,
hortus superno germine consitus,
signatus alto munere fons sacer,
mundum beavit viscere caelibi.

9 Intacta mater virgoque fit parens,
hoc orbe natus conditor orbis est [2],
hostis pavendi sceptra remota sunt,
toto refulsit lux nova saeculo.

13 Sit Trinitati gloria debita [3],
virtus, potestas, summa potentia,
in sempiternum quae Deus unicus
cunctis creatis caelitus imperat [4].

Paulus Diaconus († 799) – *Metr.*

Str. 5, 2, 6, 9 h. *Quis possit amplo famine praepotens*. Melodia, nisi inveniatur propria pro metro alcaico, facile aptari poterit ea quae in h. asclepiadeis (e. g. *Sanctorum meritis*, n. 160).

Chev. 16754; Szöv. I, 432 – Duemmler, I, 84; AH, L, 123.

[1] Si conceptus hic non videretur conveniens, posset substitui *mundior*, *purior*.

[2] *orbis creator ortus in orbe est* edd.; paululum mut. ad vitandam licentiam 5[ae] syll. brevis, hiatum *orbe est* et nimiam repetitionem syll. *or–* (*orbis*, *ortus*, *orbe*).

[3] *unicae* edd., cum hiatu; insuper, conceptus unicitatis invenietur paulo post; unde subst. alium.

[4] *regnum retentans quae Deus unus est / per cuncta semper saecula saeculi* edd.: qui duo vv. infelices videntur, tum propter *retentans*, quod ambigui et difficilis sensus est et concordare falso videtur cum vocabulo *regnum* (concordat vero cum *Deus*); tum propter superfluum illud *semper* et pravam illam locutionem *saecula saeculi*. Cum vero agatur de doxol. generica quae nihil proprii contineat, facilius mut. ad meliorem rh. in recitatione et cantu.

Laudes Christi et Mariae

O lux, salutis nuncia,
qua Virgini fert Angelus
complenda mox oracula
et cara terris gaudia.

5 Qui Patris aeterno sinu
aeterna Proles nascitur,
obnoxius fit tempori
matremqu*e* in orbe seligit.

9 Nobis piandis victima
nostros s*e* in artus colligit,
ut innocenti sanguine
scelus nocentum diluat.

13 Concepta carne Veritas,
umbrata velo Virginis,
puris videnda mentibus,
imple tuo nos lumine.

17 Et quae modesto pectore
te dicis ancillam Dei [1],
regina nunc caelestium,
patrona sis fidelium.

21 Iesu, tibi (XI).

A. ignotus – Saec. incerto – Metr.

Chev. 13162 – Thes. II, 337.

[1] Ad meliorem rh. posset mutari: *dicis Dei te servulam.*

6 aug.

Transfigur. Dni - *Vp.* **133**

AD CHRISTUM

O nata lux de lumine,
Iesu, redemptor saeculi,
dignare clemens supplicum
laudes precesque sumere.

5 Qui carne quondam contegi
dignatus es pro perditis,
nos membra confer effici
tui beati corporis.

9 Prae sole vultu flammeus,
ut nix amictu candidus,
in monte dignis testibus
apparuisti [1] conditor.

13 Vates alumnis abditos
novis vetustos conferens,
utrisque te divinitus
Deum dedisti credere.

17 Te vox paterna caelitus
suum vocavit Filium,
quem nos fideli pectore
regem fatemur caelitum [2].

21 Concede nobis, quaesumus,
puris [3] micare moribus,
ut ad polorum gaudia
bonis vehamur actibus.

25 Laudes tibi nos pangimus,
rex sempiternae gloriae [4],
quem Patris atque Spiritus
splendor revelat caelitus [5].

A. ignotus – Saltem saec. IX – Metr.

Chev. 13297; Jul. 844; Szöv. I, 430 – Thes. IV, 161; AH, LI, 107.

[1] *tu paruisti* AH; lect. Thes. praetul., cum *paruisti* sit ambiguum.

[2] *gloriae* Thes.; in quibusdam mss. *caelicum.*

[3] *almis* edd.; quod adiectivum non videtur aptum nomini *moribus;* poterat etiam substitui *sanctis, dignis,* etc.

[4] *aeterne regum rex, Deus* edd.; propter evidentem duritiem subst.

[5] Duobus vv. genericis edd. hos subst., ut doxol. magis mysterio aptaretur.

Transfigur. Dni - *O. lect.* **134**

Celebratio mysterii

Caelestis formam gloriae,
quam spes quaerit ecclesiae,
in monte Christus indicat,
qui [1] supra solem emicat.

Res memoranda saeculis:
tribus coram [2] discipulis,
cum Elia, cum Moyse [3]
grata promit eloquia.

Assistunt testes gratiae,
legis vatumque veterum [4];
de nube testimonium
sonat Patris ad Filium.

Glorificata facie
Christus declarat hodie
quis sit honor credentium
Deo pie fruentium.

Visionis mysterium
corda levat fidelium,
unde sollemni gaudio
clamat nostra devotio:

Pater, cum Unigenito
et Spiritu Paraclito
unus, nobis hanc gloriam
largire per praesentiam.

A. ignotus – Saltem saec. XIII – Rhythm.

Chev. 3456 – Thes. IV, 279; AH, LII, 16.

[1] *quo* Thes.
[2] *hic cum tribus* orig.; mut. quia revera in ipsa Transf. Christus cum apostolis non loquitur.
[3] *cum Moyse et Helia* orig.; cum nec *Helía* in hoc metro nec *Hélia* pronuntiari posset, mut., etsi cum parvo detrimento consonantiae; vitav. etiam pravum hiatum.
[4] *legis atque prophetiae* orig.: item neque *prophetíae* pronuntiari potest, neque *prophétiae;* ideo mut. Testes gratiae, ut patet, sunt tres apostoli.

135

AD CHRISTUM

(XVIII) Iesu, decus angelicum,
in aure dulce canticum,
in ore mel mirificum,
cordi pigmentum [1] caelicum:

5 (XXXIV) Tu mentis delectatio,
amoris consummatio;
tu nostra [2] gloriatio,
Iesu, mundi salvatio.

9 (14: 11) Quando cor nostrum visitas,
tunc lucet ei veritas,
mundi vilescit vanitas
et intus fervet caritas.

13 (21: 17) Da nobis, praeter veniam [3],
amoris tui copiam;
da nobis per praesentiam
tuam videre gloriam.

17 Laudes tibi (*ut n.* 133).

Str. 1ª et 2ª sumptae sunt e Iubili *Dulcis Iesu memoria* (cf. n. 124) textu edito a Lausberg; 3ª et 4ª e textu quem Wilmart compositum vocat, ex illis tamen str. quae non indignae videntur. Hic etiam nn. referuntur qui apud Wilmart, o. c., pp. 183 sqq.

[1] Sensu, ut patet, *medicinae*, ut apud S. Bernardum (*Super Cant.*, XV, 5-6).

[2] *mea* orig.; mut. ut consonaret cum cett.

[3] *Iesu mi bone, sentiam* Wilmart, qui v. necessario mutandus erat, cum dissonaret a reliquis, sermonem numero plur. proferentibus; subst. autem servando consonantiam.

Laudes crucis et oratio ad Christum

Signum[1] crucis mirabile
totum[2] per orbem praenitet,
in qua pependit innocens
Christus, redemptor omnium.

Haec arbor est sublimior
cedris, habet quas Libanus,
quae poma nescit noxia
sed ferre vitae praemia.

Tu, Christe, rex piissime,
huius crucis signaculo
horis, momentis omnibus
munire nos non abnuas,

Ut ore tibi consono
et corde devotissimo
possimus omni tempore
laudes referre debitas.

Patri, tibi, Paraclito
sit aequa, Iesu, gloria,
qui nos crucis victoria
concedis usque perfrui[3].

A. ignotus – Saltem saec. X – Metr.

Chev. 10622 (*Lignum crucis*); Szöv. I, 433 – AH, LI, 85 – Brevv.: Carm., Pm.

[1] Saepe invenitur lect. varia *Lignum.*

[2] *olim* ed. et Brevv.; quod tamen non aptatur contextui; *totum* sumpsim. ex correctione Guyeti (cf. Chev. 10624); poterat autem substitui etiam *cunctis, late,* etc.

[3] H. non habet doxol. propriam; hanc addid., ut sermo pergeret in Christum ac simul nominarentur tres Trinit. Personae.

Laudes crucis et oratio ad Christum

Laudes crucis attollamus
nos, qui crucis exsultamus
speciali gloria.

O quam felix, quam praeclara
fuit haec salutis ara
rubens Agni sanguine.

Ista suos fortiores
semper facit et victores,
morbos sanat et languores,
reprimit daemonia.

Dat captivis libertatem,
vitae confert novitatem;
ad antiquam dignitatem
crux reduxit omnia.

O crux, lignum triumphale,
mundi vera salus, vale:
inter ligna nullum tale
fronde, flore, germine [1].

Medicina christiana,
salva sanos, aegros sana;
quod non valet vis humana
fit in tuo nomine.

Assistentes crucis laudi,
consecrator crucis, audi,
atque servos tuae crucis
post hanc vitam, verae lucis
transfer nos ad gaudia [2].

Perperam tribuebatur Adamo de S. Victore; *a. ignotus* – *Saec. XII* – *Rhythm.*

Str. 1, 5, 16-20. Modulatio adhiberi potest sequentiae *Lauda Sion*, quae composita est iuxta hoc exemplar.

Chev. 10360; Jul. 662; Szöv. I, 428; II, 473 – Thes. II, 78; PL, CXCVI, 1484; Gautier, 251; AH, LIV, 188.

[1] Est v. Ven. Fortunati (n. 98).

[2] *transfer ad palatia* orig.; dulcius autem visum est concludere verbo *ad gaudia* ut ipse a. fecit seq. str. (21) quam om.

14 sept.

Exaltat. S. Crucis - *O. lect.* - *B* **138**

Laudes crucis et oratio ad Christum

Crux, mundi benedictio,
spes et certa redemptio,
olim gehennae baiula,
nunc clara caeli ianua:

5 In te levatur hostia
ad se qui [1] traxit omnia,
quam mundi princeps impetit
suumque nihil invenit.

9 Tuae legis articulus
vetus cassat [2] chirographum;
antiqua perit servitus,
vera libertas redditur.

13 Odoris tui copia
cuncta vincit aromata;
tui dulcedo nectaris
replet arcana pectoris.

17 Per crucem, Christe, quaesumus,
ad vitae transfer praemium,
quos ligni fixus stipite
dignatus es redimere.

21 Patri, tibi (*ut n.* 136).

S. Petrus Damiani († 1072) – *Rhythm.*

Chev. 4021; Szöv. I, 424 – PL, CXLV, 930; CLI, 961; AH, XLVIII, 31; Lokr. 115.

[1] Ita Lokr.; *quae* cett.
[2] Hoc tamen verbum hic sono durum videtur; substitui posset biblicum *delere* (Col. II, 14).

Laudes crucis et oratio ad Christum

Salve, crux sancta, – salve, mundi gloria,
vera spes nostra, – vera ferens gaudia,
signum salutis, – salus in periculis,
vitale lignum – vitam portans omnium.

5 Te adorandam, – te crucem vivificam,
in te redempti, – dulce decus saeculi,
semper laudamus, – semper tibi canimus,
per lignum servi, – per te, lignum, liberi.

9 Originale – crimen necans in cruce [1],
nos a privatis, – Christe, munda maculis,
humanitatem – miseratus fragilem,
per crucem sanctam – lapsis dona veniam.

13 Protege, salva, – benedic, sanctifica
populum cunctum – crucis per signaculum;
morbos averte – corporis et animae,
hoc contrá signum – nullum stet periculum.

17 Laus Deo Patri – sit in cruce Filii,
laus coaequali – sit Sancto Spiritui,
civibus summis – gaudium sit [2] angelis,
honor sit mundo – crucis exaltatio [3].

Heribertus a Rothenburg, ep. Eistadiensis († 1042) – *Rhythm.*

Chev. 17875; Szöv. I, 432 – Thes. IV, 185; AH, L, 291 – Brevv.: Carm., Praed. (quod h. in duos dividit: *Salve – Originale*).

[1] Si rhythmus durior videatur, substitui possit *crimen cruce perimens.*

[2] Possit substitui *et*, ut *civibus summis* referatur ad sanctos, qui secus non nominarentur.

[3] *honor in mundo sit crucis inventio* AH; *honor in mundo crucis exaltatio* Thes.; *honor sit mundo cr. exalt.* Carm., quae lect. aptior visa est.

N. B. Si h. longus visus erit, poterit aliqua str. supprimi: 3ª vel 4ª; si 3ª, nomen Christi introducendum erit in 4ª, ex. gr. ita: *Protege, Christe, benedic, sanctifica...*

Laudes regni Christi

Vexilla Christus inclita
late triumphans explicat;
gentes, adeste supplices
Regique regum plaudite.

Non ille regna cladibus,
non vi metuque subdidit:
alto levatus stipite,
amore traxit omnia.

O ter beata civitas
cui rite Christus imperat,
quae iussa pergit exsequi
edicta mundo caelitus.

Non arma flagrant impia,
pax usque firmat foedera,
arridet et concordia,
tutus stat ordo civicus;

Servat fides connubia,
iuventa pubet integra,
pudica florent limina
domesticis virtutibus.

Optata nobis splendeat
lux ista, Rex dulcissime;
te, pac*e* adepta candida,
adoret orbis subditus.

Iesu, tibi sit gloria,
qui sceptra mundi temperas,
cum Patr*e* et almo Spiritu
in sempiterna saecula.

V. Genovesi, S. I. – *Metr.*

Szöv. II, 454; a. tamen indicatur ut ignotus.

Ad Christum

(IX) Iesu, rex admirabilis
et triumphator nobilis,
dulcedo ineffabilis,
totus desiderabilis:

5 (XXXVIII) Rex virtutum, rex gloriae,
rex insignis victoriae,
Iesu, largitor gratiae,
honor caelestis curiae:

9 (XXXIX) Te caeli chorus praedicat
et tuas laudes replicat;
Iesus orbem laetificat
et nos Deo pacificat.

13 (XL) Iesus in pace imperat,
quae omnem sensum superat,
hanc semper mens desiderat
et illo frui properat.

17 (XLII) Iam prosequamur laudibus
Iesum, hymnis et precibus,
ut nos donet caelestibus
cum ipso frui sedibus.

21 (XXXI) Iesu, flos matris virginis,
amor nostrae dulcedinis,
tibi laus, honor numinis [1],
regnum beatitudinis.

Hae sunt aliae str. ex Iubilo, de quo cf. h. *Dulcis Iesu memoria* (n. 124).

[1] Vel *tibi laus grati carminis:* cf. n. 125.

Ad Christum

Te saeculorum principem,
te, Christe, regem gentium,
te mentium, te cordium
unum fatemur arbitrum.

5 Scelesta turba clamitat:
« Regnare Christum nolumus »;
te nos ovantes omnium
regem supremum dicimus.

9 Te nationum praesides
honore tollant publico,
colant magistri, iudices,
leges et artes exprimant.

13 Submissa regum fulgeant
tibi dicat*a* insignia,
mitique sceptro patriam
domosque subde civium.

17 Iesu, tibi (*ut n.* 140).

V. Genovesi, S. I. – *Metr.*

Str. 3-5, hic omissae, adhibentur pro f. SS. Cord. I. (*Aeterna imago*: n. 123).

Szöv. II, 453; a. tamen dicitur ignotus.

IN COMMUNI
DEDICATIONIS ECCLESIAE
AC FESTORUM
B. M. V. ET SANCTORUM

IN COMMUNI DEDICATIONIS ECCLESIAE

Comm. Dedicat. eccl. - *Vp.* **143**

Laudes caelestis Ierusalem

Urbs Ierusalem beata [1],
dicta pacis visio,
quae construitur in caelis
vivis ex lapidibus,
et angelis coronata [2]
ut sponsata comite,

Nova veniens e caelo,
nuptiali thalamo
praeparata ut sponsata,
copulatur [3] Domino.
Plateae et muri eius
ex auro purissimo;

Portae nitent margaritis,
adytis patentibus,
et virtute meritorum
illuc introducitur
omnis qui ob Christi nomen [4]
hic [5] in mundo premitur.

Tunsionibus, pressuris
expoliti lapides
suis coaptantur locis
per manum [6] artificis;
disponuntur permansuri
sacris aedificiis.

Gloria et honor Deo
usquequaqu*e* [7] altissimo,
una Patri Filioque,
inclito Paraclito,
cuius [8] laus est et potestas
per aeterna saecula.

A. ignotus – Saec. VI-VIII – Rhythm.

Pulcherrimus h., quamquam forma aliquantulum rudis, omnino deformatus est a correctoribus Urbanianis, ipso quoque metro mutato a trochaico in iambicum; equidem certo restituendus.

Chev. 20918; Jul. 1198; Szöv. I, 434; II, 450 (*Caelestis urbs Ierusalem*); 484 – Thes. I, 239; IV, 193; AH, LI, 110 – Brevv.: Ben., Carm., Cist., Pm., Praed., Vat.

[1] *beata Ierusalem* Thes., AH, Carm., Vat.; adv. tamen quod aevo medio saepissime legebant *Ierusálem;* quae pronuntiatio cum hodie non liceat, opportunam inversionem in Brevv. inductam adhiberi expedit, quae rhythmo trochaico convenit.

[2] *coornata* Thes., AH, Vat.; quod minus placet tum rarissimo usu, tum duro sono.

[3] *copulata* Thes.; *copuletur* Brevv. (excepto Vat.) cum nonnullis mss.

[4] *pro Christi nomine* Thes., AH, Vat.; qua lect. v. non solum una syll. superabundat, sed terminatur etiam contra rationem metri; nec facile admittenda est elisio cum *hic* sequente, quod computaretur pertinens ad alium v.; lectio autem *pro Ch. nomen*, quam AH suspicatur originariam, vera fortasse existimanda, iuxta exempla Latinitatis vulgaris (cf. GRANDGENT, An introduction to vulgar latin, n. 95); sed hodie non accipienda est. Melius igitur quod usurpetur lect. Brevv.: *ob Christi nomen.*

[5] *hoc* Thes.

[6] *manus* Brevv.; quae fortasse correxerunt ne occurreret *-um* cum vocali; cf. tamen ad Laud. « paradis*um* *in*troire ».

[7] Ita Brevv.; *usquequo* Thes., AH, non accipiendum propter sensum.

[8] *cui* Brevv. (excepto Vat.).

Ad Christum

Christe [1], cunctorum dominator alme,
plebs tibi supplex resonat in [2] aula,
annuo cuius redeunt colenda
tempore festa [3].

5 Hic locus nempe vocitatur aula
regis immensi niveique [4] caeli
porta, quae vitae [5] patriam petentes
accipit omnes.

9 Quaesumus ergo, Deus, ut sereno
adnuas vultu famulos gubernans,
qui tui summo celebrant amore
gaudia templi.

13 Nulla nos vitae crucient molesta,
sint dies laeti placidaeque noctes,
nullus ex nobis pereunte mundo
sentiat ignes.

17 Gloria [6] summum resonet Parentem,
gloria Natum pariterque Sanctum
Spiritum dulci moduletur hymno
omne per aevum.

A. ignotus – Saec. VII (?) – *Metr.* (cum paucissimis mendis usui latissimo fortasse imputandis).

H. aetate media valde diffusus, dein supplantatus ab altero *Urbs Ierusalem*; sua pulchritudine autem dignus qui et ipse restituatur. Ad brev. omis. str. 1, 3-6, 8, 11.

Chev. 2854; Szöv. I, 423 – Thes. I, 107; PL, XVII, 1218; CLI, 969; AH, LI, 112 – Brev. Ambr. (cum non paucis mutation.).

[1] Ad brev., confecimus hanc str. e v. 1° primae str., satis genericae, et vv. 2-4 secundae str.

[2] Hoc mendum fortasse in orig. deerat; facile corrigi possit *per aulam*, ut Ambr. corr. *per aedem*.

[3] *annua cuius redeunt colenda / tempora festa* AH; *annua cuius revehunt colendum / tempora festum* Thes.; lect. nostra perhibetur compluribus mss. bonae notae et melius servat metrum.

[4] *niveaque* Thes., AH; *niveique*, iuxta quosdam cdd., inter quos optimus Casinensis, melius servat metrum et parallelismum cum *aula regis immensi*.

[5] *sanctos* Thes., nullo ms. praebitum.

[6] Nesc. an hoc mendum ascribendum sit auctori eiusdem h.; Ambr. correxit *Laus poli;* 2° v. *Laus Patris Nato*.

Laudes caelestis Ierusalem et oratio ad Deum

Angularis [1] fundamentum
lapis Christus missus est,
qui parietum compage [2]
in utroque nectitur,
quem Sion sancta suscepit,
in quo credens permanet.

Omnis illa Deo sacra
et dilecta civitas,
plena modulis in laude
et canoro [3] iubilo,
trinum Deum unicumque
cum favore [4] praedicat.

Hoc in templo, summe Deus,
exoratus adveni,
et clementi bonitate
precum vota suscipe;
largam benedictionem
hic infunde iugiter.

Hic promereantur omnes
petita acquirere
et adepta possidere
cum sanctis perenniter,
paradisum introire
translati in requiem.

Gloria et honor Deo (*ut n.* 143).

Est altera pars h. *Urbs Ierusalem beata;* cf. ibidem notata.

[1] *Angulare* Thes.

[2] Ita Brevv.; *compage parietis* AH, Vat.; *c. parietum* Thes., Carm., sed adv. aevo medio dictum esse *pariētis,* unde ital. *paréte;* cum vero haec pronuntiatio nunc non liceat, utimur lect. Brevv.

[3] Ita Praed.; *canore* cett., quod minus intellegitur.

[4] Ita Thes., AH, Vat., significando, ut videtur, *plausum;* si vocab. de Deo usurpatum non placet, substitui potest *fervore* quod est in Brevv.

146

IN COMMUNI FF. B. MARIAE V.

Comm. ff. B. M. V. - *I cycl.* - *Vp.* **146**

AD B. M. V.

Ave, maris stella,
Dei mater alma,
atque semper virgo,
felix caeli porta.

Sumens illud « Ave »
Gabrielis ore,
funda nos in pace
mutans Evae nomen [1].

Solve vincla reis,
profer lumen caecis,
mala nostra pelle,
bona cuncta posce.

Monstra *te* esse matrem,
sumat per te precem [2]
qui pro nobis natus
tulit esse tuus.

Virgo singularis,
inter omnes mitis,
nos culpis solutos
mites fac et castos.

Vitam praesta puram,
iter para tutum,
ut videntes Iesum
semper collaetemur.

Sit laus Deo Patri,
summo Christo decus,
Spiritui Sancto
honor, tribus unus [3].

A. ignotus – Saec. VIII-IX – Rhythm.

Chev. 1889; Jul. 99; Szöv. I, 423; II, 461 – Thes. I, 204; PL, LXXXVIII, 265; Leo, 385; AH, II, 39; LI, 140 – Brevv. omnia, excepto Ambr.

[1] *nomen Evae* Thes., AH, Pm., Praed., Vat., fere certo lect. orig., quod confirmatur ex vocali *e* terminali et *pace* v. praec.; noluimus tamen reicere usualem lect. quae dulcior sono est et assonantiam servat.

[2] Ita Thes., AH, Vat.; quae lect. orig. videtur propter perfectam consonantiam cum praec. *matrem*.

[3] Ita AH; *honor tribus et unus* Thes., certe mendose propter illud *et; tribus honor unus* passim in Brevv. Sed lect. AH videtur rectissima, cum tribuat substantivum glorificationis (*honor*) etiam Spiritui, symmetrice cum Patre (*laus*) et Filio (*decus*); in lect. vero vulgari v. *Spiritui Sancto* manet quodam modo suspensus.

Laudes B. M. V.

Quem terra, pontus, aethera
colunt, adorant, praedicant
trinam regentem machinam,
claustrum Mariae baiulat.

5 Cui luna, sol et omnia
deserviunt per tempora,
perfusa caeli gratia
gestant puellae viscera.

9 Mirantur ergo saecula
quod hanc obumbrat Spiritus [1],
quod aure Virgo concipit
et corde credens parturit.

13 Beata mater munere,
cuius, supernus artifex
mundum pugillo continens,
ventris sub arca clausus est.

17 Beata [2] caeli nuntio,
fecunda Sancto Spiritu,
Desideratus gentibus
cuius per alvum fusus est.

21 Iesu, tibi (xi).

A. ignotus – Saec. VII-VIII – Metr.

Chev. 16347; Jul. 944; Szöv. I, 431; II, 452 – Thes. I, 172; PL, LXXXVIII, 265; Leo, 385; AH, L, 86 – Brevv. omnia, praeter Ambr.

[1] *quod Angelus fert semina* orig.; quae lect. hodie, ut censemus, non convenit; fortasse propter eam haec str. omissa erat.

[2] *Benedicta* Thes., Leo, AH, Vat.; quam lect., orig. censendam, in Officiis posteri mutaverunt, ut videtur, p. rh., cum v. prolongaretur una syll. Melius retinenda ut in Brevv.

Comm. ff. B. M. V. - *I cycl.* - *Ld.* **148**

Ad B. M. V.

O gloriosa femina [1],
excelsa super sidera,
qui te creavit provide,
lactas sacrato ubere [2].

5 Quod Eva tristis abstulit,
tu reddis almo germine;
intrent ut astra flebiles
caeli fenestra facta es.

9 Tu regis alti ianua
et porta lucis fulgida.
Vitam datam per Virginem,
gentes redemptae, plaudite.

13 Iesu, tibi (xi).

Est altera pars h. praec.; sermo autem nunc ad ipsam S. Mariam dirigitur.

[1] Ita certe in orig.; posteri in Officiis substituerunt *Domina,* fortasse quod vocab. *femina* non videbatur satis honorificum in matrem Dni; nobis vero pulcherrimum videtur, cum magis ita eniteat gloria humilis creaturae ad tantam dignitatem evectae; insuper *Domina* corrumpit metrum, quod a. servat quamvis aliquando indulgeat hiatibus.

[2] Ita certe a. servans metrum, licet cum hiatu; *lactasti sacro ubere* Leo, Ben., Carm., Cist., Pm., Praed., cum corruptione metri.

Comm. ff. B. M. V. - *II cycl.* - *Vp.* **149**

Ad ipsam

O virgo mater, filia
tui beata Filii,
sublimis et humillima
prae creaturis omnibus,

5 Divini tu consilii
fixus ab aevo terminus,
tu decus et fastigium
naturae nostrae maximum:

9 Quam sic fecisti nobilem,
ut summus eius conditor
in ipsa per te fieret
arte miranda conditus.

13 In utero virgineo
amor revixit igneus,
cuius calore germinant
flores in terra caelici.

17 Patri sit (xv).

Unus e nostris – Rhythm.
e vv. *Dantis Alagherii,* Parad. XXXIII, 1-9.

Est prior pars versionis liberae celeberrimi textus poetici Dantis Alagherii (Parad. XXXIII, 1-21), qui certe eminet inter omnes hymnos in laudem B. V. compositos. Quaedam autem necessario mutanda erant ut cantui liturgico aptarentur; ex. gr. « così è germinato questo fiore » (v. 9); « che qual vuol grazia ed a te non ricorre – sua disianza vuol volar senz'ali » (vv. 14-15); etc.

Comm. ff. B. M. V. - *II cycl.* - *O. lect.* **150**

Ad ipsam

Maria, quae mortalium
preces amanter excipis,
rogamus ecce supplices,
nobis adesto perpetim.

5 Adesto, si nos criminum
catena stringit horrida;
cito resolve compedes
quae corda culpis illigant.

9 Succurre, si nos saeculi
fallax imago pellicit,
ne mens salutis tramitem,
oblita caeli, deserat.

13 Succurre, si vel corpori
adversa sors impendeat;
fac sint quieta tempora
aeternitas dum luceat.

17 Tuis et esto filiis
tutela mortis tempore,
ut, te iuvante, consequi
perenne detur praemium.

21 Iesu, tibi (xi).

A. ignotus – In Brevv. saec. XIX – Metr.

Chev. 11126 – Brev. Praed. 31 mai.

Comm. ff. B. M. V. - *II cycl.* - *Ld.* **151**

Ad ipsam

Quae caritatis fulgidum
es astrum, Virgo, superis,
spei nobis mortalibus
fons vivax es et profluus.

5 Sic vales, celsa Domina,
in Nati cor piissimi,
ut qui fidenter postulat,
per te securus impetret.

9 Opem tua benignitas
non solum fert poscentibus,
sed et libenter saepius
precantum vota praevenit.

13 In te misericordia,
in te magnificentia;
tu bonitatis cumulas
quicquid creata possident.

17 Patri sit (xv).

Unus e nostris – Rhythm.
e vv. *D. Alagherii*, Parad. XXXIII, 10-21.

Est altera pars textus Dantis Alagherii libere versi.

IN COMMUNI APOSTOLORUM

Comm. Apostolorum - *Vp.* 152

AD IPSOS

Exsultet caelum laudibus,
resultet terra gaudiis:
apostolorum gloriam
sacra canunt [1] sollemnia.

Vos, saecli iusti iudices
et vera mundi lumina,
votis precamur cordium,
audite preces supplicum.

Qui caelum verbo clauditis
serasque eius solvitis,
nos a peccatis omnibus
solvite iussu, quaesumus.

Quorum praecepto subditur
salus et languor omnium,
sanate aegros moribus,
nos reddentes virtutibus:

Ut, cum iudex advenerit
Christus in fine saeculi,
nos sempiterni gaudii
faciat esse compotes.

Summa sit ipsi gloria,
qui dat nos evangelicis
per vos doctrinis instrui
et prosequi caelestia [2].

A. ignotus – Saec. X ? – Rhythm.

Chev. 5832; Jul. 360; Szöv. I, 426; II, 450 (*Exsultet orbis gaudiis*); 467 – Thes. I, 247; AH, LI, 125 – Brevv.: Ben., Carm., Cist., Pm., Praed., Vat.

[1] *canant* AH; *canunt* Thes. et Brevv. cum plurimis mss., et rectius, ut videtur, cum hic non prosequatur invitatio, sed praebeatur ratio invitationis.

[2] Doxol. communi et genericae hanc subst., quae proprium quoque apostolorum munus celebrat.

Laudes eorum

Stola regni laureatus,
summi regis est senatus
coetus apostolicus,

Cui psallant mens et ora:
mentis mundae vox sonora
hymnus est angelicus.

Hic est ordo mundi decus,
omnis carnis iudex aequus,
novae praeco gratiae.

Onus leve, iugum mite
proponentes, semen vitae
mundi spargunt terminis.

Hi sunt templi fundamentum,
vivus lapis et caementum
ligans aedificium.

Hi sunt portae civitatis,
hi compago unitatis
Israel et gentium.

Horum nutu cedat error,
crescat fides, absit terror
finalis sententiae,

Ut soluti a delictis
sociemur benedictis
ad tribunal gloriae.

Ascribitur Adamo de S. Victore – Rhythm.

Str. 1-3, 7, 13, 14, 19, 20.

Chev. 19527; Jul. 1095; Szöv. II, 482 – Gautier, 221; AH, LV, 3.

Ad Christum

Summi Parentis [1] unice,
Christe, lumen de lumine,
qui mundum totum subigis
apostolorum pedibus,

5 Quos tuo dono praeditos
caelestibusque deditos [2]
misisti evangelica
ubique ferre semina,

9 Horum placatus precibus
esto nobis propitius,
quorum laetantes debita [3]
prosequimur sollemnia.

13 Illorum sanctis meritis
averte [4] nos ab inferis,
per quorum sacra dogmata
fida gestamus pectora.

17 Sereno vultu respice
et nos tuendo protege,
qui cuncta mundi noxia
tua vincamus gratia.

21 Qui verbis apostolicis
nos ad aeterna dirigis,
Christe, sit tibi gloria
per infinita saecula [5].

A. ignotus – Valde antiquus – Rhythm.

Chev. 19751 – AH, LI, 127.

[1] *tonantis* orig., quod aliquantulum sapit mythologiam.
[2] *quos tuo dono deditos / caelestibusque praeditos,* orig.; melius autem visum est adiectiva inverti.
[3] *annua* orig., quod necessario mut., cum h. dicendus saepe sit etiam in f. unius apostoli.
[4] *erue* orig.; subst. p. rh. et maiorem verbi proprietatem.
[5] Doxol. genericae hanc propriam subst., sermone adhuc in Christum verso.

Historia Apostolorum in Resurrectione Dni

Tristes erant apostoli
de nece sui Domini,
quem morte crudelissima [1]
saevi [2] damnarant [3] impii.

Sermone blando Angelus
praedixit [4] mulieribus:
« In Galilaea Dominus
videndus est quantocius ».

Illae dum pergunt concitae
apostolis hoc dicere,
videntes eum vivere,
osculant pedes Domini [5].

Quo agnito, discipuli
in Galilaea [6] propere
pergunt videre faciem
desideratam Domini.

Esto perenne mentibus
paschale, Iesu, gaudium,
et nos renatos gratiae
tuis triumphis aggrega [7].

Sit, Christe, tibi gloria,
qui regno mortis obruto,
pandisti per apostolos
vitae lucisque semitas [8].

A. ignotus – Saec. IX – Rhythm.

Sunt str. 5-8 h. *Aurora lucis rutilat* (n. 102); cf. etiam ib. notas.

Chev. 20589; Szöv. I, 423; II, 453 – Brevv.: Ben., Carm., Cist., Pm., Vat.; Praed. in Domin. T. P. ad Ld.

[1] *poena mortis crudeli* Thes., AH, Bulst, Vogel, Praed.; quam lect., quamvis genuinam, mutandam censuimus propter intolerabilem accentum *crúdeli*. Cum mutatio facienda sit, praetulimus usitatam lect. Brevv.

[2] *servi* Thes., Brevv. cum quibusdam mss.

[3] Ita Thes., Brevv. cum quibusdam mss.; *damnarunt* cett., quae lect. minus videtur contextui consona.

[4] *praedicit* Bulst, Vogel.

[5] Ita AH, Bulst, Vogel; *osculantur* Thes., Praed., certo mendose, ex desiderio corrigendi formam insolitam; *Christi tenent vestigia* Brevv. cum Romano.

[6] *Galilaeam* Thes., Brevv., subordinando vocab. verbo *pergunt;* potest autem illud subordinari verbo *videre*.

[7] Est str. paschalis, quam proposuimus pro T. Pasch. in omnibus h.

[8] Loco genericae vel paschalis doxol. solitae, hanc subst., quae apostolos quoque memoraret cum mysterio pasch.

Historia Apostolorum in Resurrectione Dni

Claro paschali[1] gaudio
sol mundo nitet radio,
cum Christum iam apostoli
visu cernunt corporeo.

5 Ostensa sibi vulnera
in Christi carne fulgida,
resurrexisse Dominum
voce fatentur publica[2].

9 Rex, Christe, clementissime,
tu corda nostra posside,
ut tibi laudes debitas
reddamus omni tempore.

13 Esto perenne mentibus
paschale, Iesu, gaudium,
et nos renatos gratiae
tuis triumphis aggrega.

17 Sit, Christe (*ut n.* 155).

Str. 9-11 h. *Aurora lucis rutilat:* cf. ad Vesp.

Chev. 3361; Szöv. II, 452 (*Paschale mundo gaudium*) – Brevv.: cf. ad Vesp.

[1] *paschale* Bulst, Vogel; casu tamen ablat.

[2] Facilius ita interpretari licet, ut *ostensa vulnera,* coordinate cum *resurrexisse Dominum,* dependeat a voce *fatentur* cum subiecto *Apostoli; ostensa* subintellegeret *esse.* Secus *ostensa vulnera* accipiendum ut nominat. vel accusat. absolutus.

IN COMMUNI MARTYRUM

Comm. unius Martyris - *Vp.* 157

AD DEUM

Deus, tuorum militum
sors et corona, praemium,
laudes canentes martyris
absolve nexu criminis.

5 Hic testis ore protulit
quod cordis arca credidit,
Christum sequendo repperit
effusione sanguinis.

9 Hic nempe mundi gaudia
et blandimenta noxia [1]
caduca rite deputans,
pervenit ad caelestia.

13 Poenas cucurrit fortiter
et sustulit viriliter;
pro te refundens [2] sanguinem,
aeterna dona possidet.

17 Ob hoc precatu supplici [3]
te poscimus, piissime,
in hoc triumpho martyris
dimitte noxam servulis,

21 Ut [4] partem eius muneris
haereditemur congrui,
laetemur in perpetuum
iuncti polorum atriis [5].

A. ignotus – Saec. V-VI – Metr.

Huius h. sunt 2 recensiones: altera brevior, quae nunc adhibetur in Brevv., altera longior. Difficile est discernere utrum breviori additae sint aliae str. pro opportunitate alicuius festi, an ex longiore alicui martyri destinata excerptae sint str. pro Communi vel solum ad brev. Cum tamen in recensione longiore sint pulchrae str., duas ex eis (2, 8; in nostro textu 2, 6) oblivioni tradere noluimus; duas vero (4, 6) om. quae ad particularem martyrem referri videntur.

Chev. 4534 (brev.), 4535 (long.); Jul. 292; Szöv. I, 425; II, 450 – Thes. I, 109; PL, XVII, 1219; AH, LI, 130 (114 a, b) – Brevv.: Ambr., Ben., Carm., Cist., Pm., Praed., Vat.

[1] *et blanda vitae commoda* Ambr., ad corrigendum mendum illius *–di* longae, in quod a. lapsus est, quem fortasse fefellerunt similia vocab. *blandĭtia, blandĭloquentia*, etc.

[2] Haec fere certo est lect. primigena et pulcherrima, cum significet « redditionem » sanguinis martyris Sanguini Christi; reiciendae igitur mutationes Brevv.

[3] *Hic nos precantes supplices* Ambr., iuxta recens. longiorem.

[4] Haec str. non solum pulchra, sed et necessaria videtur ad complendum sensum praec.

[5] Hae duae str. conclusivae possunt etiam adhiberi ut doxol., eadem ratione qua str. *Te nunc, Redemptor, quaesumus* in fine h. *Aeterna Christi munera* (n. 162); secus poterit adhiberi *Praesta, Pater piissime* (I).

Ad ipsum martyrem

Beate martyr, prospera
diem triumphalem tuum,
quo sanguinis merces tibi
corona vincenti[1] datur.

Hic *te* ex tenébris saeculi,
tortore vict*o* et iudice,
evexit ad caelum dies
Christoqu*e* ovantem reddidit.

Nunc angelorum particeps
colluces insigni stola,
quam testis indómabilis
rivis cruoris laveras.

Adesto nunc et percipe
voces precantum supplices,
nostri reatus efficax
orator ad thronum Patris.

*Mise*rere nostrarum precum,
placatus ut Christus suis
inclinet aurem prosperam
noxas nec omnes imputet.

Paulisper[2] huc illabere
Christi favorem deferens,
sensus gravat*i* ut sentiant
levamen indulgentiae.

Honor Patri cum Filio
et Spiritu Paraclito,
qui te corona perpeti
cingunt in aula gloriae[3].

Prudentius – Metr.

Peristeph. V, 1-12; 545-48; 557-60; 565-68.

Est h. in hon. s. Vincentii; hae str. possunt cuilibet martyri aptari. Pro h. proprio s. Vinc. possunt adhiberi vel addi aliae str. peculiares.

Chev. 2368; Szöv. I, 423 – PL, LX, 378; Berg. 334; AH, L, 35; Cunn. 294.

[1] Felici casu nomen proprium vocativum *Vincenti* potest hic sumi ut participium commune dativum; posset etiam substitui *victori.*

[2] Haec str. deest in AH, ubi e contrario est alia rhythm., non toleranda in hoc tanti poetae carmine.

[3] Habetur in AH doxol. non pulchra, quin immo rhythm., non admittenda in hoc carmine metrico; hanc subst., etiam ut sermo pergeret in martyrem.

N.B. Extra diem natalem, omittendae sunt str. 1^{a}-2^{a}; h. incipi possit per str. 4^{am}, ita leviter mutato v. 1°: *Beate martyr, percipe:* sequatur str. 3^{a} (*Nunc angelorum...*); deinde 5^{a}-7^{a}.

Ad ipsum martyrem

Martyr Dei, qui unicum
Patris sequendo Filium
victis triumphas hostibus,
victor fruens caelestibus,

5 Tui precatus munere
nostrum reatum dilue
arcens mali contagium,
vitae repellens[1] taedium.

9 Soluta sunt iam vincula
tui sacrati corporis;
nos solve vinclis saeculi
amore Filii Dei.

13 Honor Patri (*ut n.* 158).

A. ignotus – Saec. IX – Metr.

Chev. 11228; Jul. 716; Szöv. I, 429; II, 451 (*Invicte martyr, unicum*) – Thes. I, 247; PL, LXXXVI, 911; AH, LI, 129 – Brevv.: Ben., Carm., Cist., Pm., Praed., Vat.

[1] Ita Rom., Praed., ad emendandum *removens* cett. cum mendo *-mo* brevis, in quod a. fortasse lapsus est ex pronuntiatione vulgari, quae apparet in ital. *rimuòve, rimuòvono.*

AD CHRISTUM

Sanctorum meritis inclita gaudia
pangamus, socii, gestaque fortia;
nam gliscit animus promere cantibus
victorum genus optimum.

5 Hi sunt quos retinens mundus inhorruit,
ipsum nam sterili flore peraridum
sprevere penitus teque secuti sunt,
rex Christe bone, caelitus [1].

9 Hi pro te furias saevaque sustinent [2];
non murmur resonat, non querimonia,
sed corde tacito mens bene conscia
conservat patientiam.

13 Quae vox, quae poterit lingua retexere
quae tu martyribus munera praeparas?
rubri nam fluido sanguine laureis
ditantur bene fulgidis.

17 Te, trina [3] Deitas unaque, poscimus,
ut culpas abluas, noxia subtrahas;
des pacem famulis, nos quoque gloriam
per cuncta tibi saecula.

Perperam attributus Rabano Mauro; *a. ignotus – Saltem saec. XI – Metr.* (cum aliqua licentia).

Chev. 18607; Jul. 993; Szöv. I, 433; II, 453 – Thes. I, 203; PL, LXXXVI, 908; AH, L, 204 – Brevv.: Ben., Carm., Cist., Pm., Praed., Vat.

[1] *caelitum* Brevv. cum Romano, excepto Vat.

[2] Cum ratio habenda sit etiam tormentorum quibus martyres recentiores affecti sunt, supprimendae sunt descriptiones antiquorum; ideo om. 3^{am} str., cuius 1um v. aptavimus huic cum modica mutatione.

[3] *summa* Thes., Brevv. cum Romano (*summa o Deitas*), fortasse e scrupulo orto ab Hincmari loco quo blasphemiae insimulatur locutio « trina Deitas » (PL, CXXV, 498); cui accusationi refellendae sufficit memorare eundem v. adoptatum esse a Thoma Aquin. in h. *Sacris sollemniis* (n. 121).

AD DEUM

Rex gloriose martyrum,
corona confitentium,
qui respuentes terrea [1]
perducis ad caelestia,

5 Aurem benignam protinus
appone nostris vocibus;
tropaea sacra pangimus,
ignosce quod deliquimus.

9 Tu vincis in martyribus
parcendo confessoribus;
tu vince nostra crimina
donando indulgentiam.

13 Praesta, Pater (I).

A. ignotus – Saec. VI – Metr.

Chev. 17453; Jul. 958; Szöv. I, 432; II, 453 – Thes. I, 248; PL, LXXXVI, 909; AH, LI, 128 – Brevv.: Ben., Carm., Cist., Pm., Vat.

[1] *terrena* Thes., mendose in hoc h. metrico, qui solam licentiam admittit syll. brevis *-ty* in *martyribus* et hiatum *donando indulg.*

LAUDES MARTYRUM

Aeterna Christi munera
et martyrum victorias,
laudes ferentes[1] debitas,
laetis canamus mentibus.

5 Ecclesiarum principes,
belli triumphales duces,
caelestis aulae milites
et vera mundi lumina.

9 Terrore victo saeculi
poenisque spretis corporis,
mortis sacrae compendio
lucem[2] beatam possident.

13 Tortoris insani manu[3]
sanguis sacratus funditur,
sed permanent immobiles
vitae perennis gratia.

17 Devota sanctorum fides,
invicta spes credentium,
perfecta Christi caritas
mundi triumphat principem.

21 In his paterna gloria,
in his voluntas Spiritus,
exsultat in his Filius,
caelum repletur gaudio.

25 Te nunc, Redemptor, quaesumus,
ut martyrum consortio
iungas precantes servulos
in sempiterna saecula. Amen.

S. Ambrosius – Metr.

H. compositus est in hon. ss. Martyrum; sed str. 1, 2, 6, 7 hucusque adhibitae sunt pro Apostolis; nunc melius censetur quod ad unitatem h. restituatur.

Chev. 600; Jul. 24; Szöv. I, 421; II, 459 – Thes. I, 27; PL, XVI, 1475; Bir. 103; AH, L, 19; Bulst, 52; Sim. 72 – Brevv.: Ambr., Ben., Carm., Cist., Pm., Praed., Vat.

[1] *canentes* Ben., Carm., Cist., Pm., non recte, cum statim sequatur *canamus.*

[2] *vitam* Thes., Brevv.

[3] Om. 4^{am} str., quae tormenta antiqua describit; loco 1 v. huius str. *Nudata pendent viscera* subst. 4um omissae str. *Tortoris insani manus,* modicissima mutatione inducta.

IN COMMUNI CONFESSORUM

Comm. unius Confess. Pont. - *Vp.* **163**

AD CHRISTUM

Christe, pastorum caput atque princeps,
praesulis gaudens celebrare festum,
debitas sacro pia turba psallit
carmine laudes.

5 Strenuum [1] bello pugilem superni
chrismatis pleno tuus unxit intus
Spiritus cornu, posuitque sanctam
pascere gentem.

9 Hic gregis pastor fuit atque forma,
lux erat caeco, misero levamen,
providus cunctis pater omnibusque
omnia factus.

13 Christe, qui sancti meritis coronam
reddis in caelis, docili magistrum
fac sequi vita, similique tandem
fine potiri.

17 Laus Redemptori tibi sit [2] perennis (XIII).

A. ignotus – Ex Brev. ms. Sanctens. saec. XV – Metr.
Chev. 2914 – AH, XXIII, 89.

[1] Str. 2am omis. ad brev.
[2] *tibi sit*] *Domino* AH; mut. ut ad Christum sermo pergeret.

Ad Deum et ad sanctum

Lumen aeternum moderator temporum,
alme bonorum propagator omnium,
palmam invictis largiens militibus
qui te sequuntur laureati gloria,

5 Festum colentes tui sacri praesulis
laudes devoti tibi Deo canimus,
cuius obtentu mereamur scandere
aulam praecelsam cum triumpho muneris.

9 Te nunc oramus, sancte Dei pontifex:
posce ut nobis tribuatur venia
cunctis subactis vitiorum sentibus,
atque perennis augeatur gratia.

13 Laus, honor, virtus atque iubilatio [1]
Patri Natoque simul et Paraclito,
qui dominatur trinus et unus Deus,
et regnum eius in aeterna saecula.

A. ignotus – Saec. incerto – Rhythm.

Est h. in hon. *S. Remacli* Traiectens. ep. Ad brev. om. str. 4-5. Structura eadem ac in h. *Aurea luce* (cf. n. 237), cuius etiam melodia adhiberi potest.

Chev. 10734 – Act. SS. Boll., sept. I, 669; AH, LI, 223.

[1] *modulatio* orig.; quod supponit cantum; ideo subst.

Laudes ipsius

Inclitus pastor populique rector,
cuius insignem colimus triumphum,
iste confessor[1] sine fine laetus
regnat in astris.

5 Qui pater prudens[2] fuit et magister,
exhibens sacrae documenta vitae
et Deo semper satagens placere
corde benigno.

9 Nunc eum nisu rogitemus omnes,
abluat nostrum pius ut reatum,
et sua ducat prece nos ad alta
culmina caeli[3].

13 Sit Deo soli decus et potestas,
laus in excelsis honor ac perennis,
qui suis totum moderans gubernat
legibus orbem.

Iuxta Szöv. *Ordericus Vitalis* († 1143) – *Metr.*

Est h. in hon. S. Adelwoldi. Omissa est 3ª str., tum ad brev., tum quod fere vacua est.

Chev. 8849; Szöv. II, 471 – Act. SS. Boll., aug. I, 85; PL, CXXXVII, 105; AH, XXIII, 126; XLIII, 68.

1 *iste confessor*] *nunc Adelwoldus* orig.
2 *noster* orig.; poterat aliud substitui.
3 *et sua sancta prece nos ad altum / ducat Olympum* orig.; quod mutare debuimus ad supprimendum *Olympum*.

Ad Christum

Dum sacerdotum celebrant fideles
festa sollemni veneranda cultu,
in tuas laudes honor hic redundat,
summe Sacerdos.

5 Cuius ex dono potuere sancti
saeculi fastus et opes caducas
ac voluptatum laqueos tenaces
spernere firmi [1].

9 Sed nec adversis poterant moveri
a tuae certo fidei tenore,
quos futurorum rata praemiorum
spes animabat.

13 Unde post vitae fragiles labores
rite decursos patrias adepti
caelitus sedes, solida beati
pace fruuntur.

17 Gloriae summum decus atque laudis,
rex, tibi, regum, Deitas perennis,
quicquid est rerum celebret per omne
tempus et aevum.

Marbodus († 1123) – *Metr.*

Chev. 5007; Szöv. II, 466 – PL, CLXXI, 1652; AH, L, 400.

[1] *ludificare* orig.; quod hodie non placet.

LAUDES ET ORATIO AD IPSOS

Sacrata nobis gaudia
dies reduxit annua,
laudantur in qua debito
cultu beati praesules [1].

En pro gregis custodia
nullos labores neglegunt,
tutantur illum, sanius
impertientes pabulum.

Arcent lupos e finibus,
procul latrones exigunt,
replent oves pinguedine,
ovile numquam deserunt.

Tot nunc potiti gaudiis,
o vos, sacrati praesules,
nobis rogate gratiam
apud tribunal iudicis.

Aeterne, Christe, pontifex,
tibi sit aequa gloria
cum Patr*e* et almo Spiritu
in sempiterna saecula [2].

B. Verghetti († 1941) – *Metr.*

Est in Brev. Romano: *Commune Sanctorum pro aliquibus locis: Comm. plur. Confess. Pont.*, ad Laud.: iuxta Decretum S. R. C. d. 22 maii 1914. Nondum comperire valuimus utrum vetus sit et aliquo modo aptatus, an ex novo compositus. B. Verghetti, tunc S. R. C. hymnographus, indicatur a. apud P. VENERONI, Manuale di liturgia, 1936, p. 213.

[1] *Plenis resultet vocibus / laetum diei canticum: / ad lucis ortum, concinat / chorus beatos praesules* orig.; quae str. supponit cantum choralem initio diei; ut aptari possit Officio lectionis et recitationi privatae, hanc substit. Vv. 1-2: AH, LII, 73.

[2] In Brev. Rom. doxol. generica, cui hanc subst. quae memorat sacerdotium Christi.

LAUDES IPSORUM

Hi sacerdotes Domini sacrati,
consecratori Domino fideles [1]
atque prudentes famuli fuere
ecclesiarum.

5 Namque susceptae benedictionis
dona servantes, studuere, lumbos
fortiter cincti, manibus coruscas
ferre lucernas.

9 Sicque [2] suspensi vigilesque, quando
ianuam pulsans Dominus veniret,
obviaverunt cito properanti
pandere limen.

13 Gloriae summum decus (*ut n.* 166).

Marbodus (*?*) – *Metr.*

Chev. 7755; Szöv. II, 469 – AH, L, 401.

[1] *consecratores Domini fideles* AH, quae lect. ambiguitatem praebere potest; *consecratori Domino* indicat Chev., l. c., quae fortasse est correctio.

[2] Om. 3^{am} str., tum ad brev., tum ob difficultatem sensus 3^{i} et 4^{i} vv.; *Dum clientelae Domini fatentur / esse se factos humiles ministros, / debitum cunctae meminere victus / solvere sumptus.*

LAUDES EIUS

Iste confessor Domini sacratus,
festa plebs cuius celebrat per orbem,
praemio laetus meruit secreta
scandere caeli [1].

5 Qui pius, prudens, humilis, pudicus,
sobrius, castus fuit et quietus,
vita dum praesens vegetavit eius
corporis artus.

9 Unde [2] nunc noster chorus in honorem [3]
ípsius, hymnum canit hunc libenter,
ut piis eius meritis [4] iuvemur
omne per aevum.

13 Sit salus illi, decus atque virtus,
qui supra caeli residens cacumen,
tótius mundi seriem [5] gubernat
trinus et unus.

A. ignotus – Saec. VIII – Metr.

Compositus dicitur in hon. S. Martini Tur.; nullum tamen testimonium certum adhuc invenimus de hac destinatione. Thes. IV, 371 admonet ita in Cd. Bernensi saec. IX legi: « Versus de S. Germano ». Paucissimae licentiae metricae induxerunt correctores Urbanianos ad tot ac tantas immutationes, quae novum fere aspectum h. tribuerint in Brev. Rom. Omnino est restituendus; notissimus autem et dignus, non est relegandus ad solum festum S. Martini.

Chev. 9136; Jul. 573; Szöv. I, 428; II, 451 (*I. c. D. colentes*) – Thes. I, 248; IV, 371; PL, LXXXVI, 1016; AH, LI, 134 – Brevv. omnia, in Comm. Confess., excepto Ambr.

[1] *hodie* (vel *hoc die*) *laetus meruit secreta / scandere caeli* orig.; cum *hodie* non conveniat omnibus sanctis, Brev. Rom. mutavit *hac die laetus meruit supremos / laudis honores*, quod est nimium nec clarum; quare ita subst.

[2] Om. str. 3[am]: *Ad sacrum cuius tumulum frequenter / membra languentum modo sanitati / quolibet morbo fuerint gravati / restituuntur*, quod immoderate de singulis sanctis dici potest (ut advertebat iam P. Abaelardus — cf. AH, XLVIII, 144) et fortasse hodie de ipso S. Martino. Parum medentur correctiones Brev. Rom. et Praed., Pm.

[3] *honore* Thes., AH, Vat., lect. orig. et aevo medio consueta; non est autem cur hodie respuatur lect. purior *honorem*.

[4] *precibus* Rom., Praed.

[5] *machinam* orig. (cf. n. 290), metrice mendosum; unde usurpav. lect. Brev. Rom.

AD CHRISTUM

Iesu, redemptor omnium,
perpes corona caelitum [1],
in hac die clementius
nostris faveto vocibus [2],

Tui sacri qua nominis
confessor almus claruit,
cuius [3] celébrat annua
devota plebs sollemnia.

Qui rite mundi gaudia
huius caduca respuens,
cum angelis caelestibus
laetis [4] potitur praemiis [5],

Huius benignus annue
nobis sequi vestigia,
huius precatu servulis
dimitte noxam criminis.

Sit, Christe (IX).

A. ignotus – Saec. VIII – Metr.

Adhibetur in Brev. Rom. et cett. pro Comm. unius Confess. Pontif.; cum vero nihil contineat quod réferendum sit ad Pontificem nisi 2um v. *Perpes corona praesulum*, ad non Pontificem transtulimus, illo v. facillime mutato.

Chev. 9628; Jul. 593; Szöv. II, 451 – Thes. I, 249; AH, LI, 133 – Brevv.: Ben., Carm., Cist., Pm., Praed., Vat.

[1] *praesŭlum* edd. et Brevv.

[2] *prĕcibus* Thes. et Brevv. excepto Vat., mendose in hoc h. metrico.

[3] *huius* Ben., Carm., Cist., Pm.; perperam, ut videtur.

[4] Ita Thes., AH, (ubi tamen, fortasse lapsu typographico, indicatur iterum *laetis* ut lect. varia cd. I); *laetus* Brevv.

[5] Ita interpungit AH, conectens proleptice *Qui potitur* cum *Huius* seq. str.: quod quidem rectius videtur.

Ad Christum

Iesu, corona celsior
et veritas sublimior,
qui confitenti servulo
reddis perenne praemium,

Da supplicanti coetui,
obtentu [1] huius optimi,
remissionem criminum
rumpendo nexum vinculi [2].

Hic vana terrae gaudia
et luculenta [3] praedia
polluta sorde deputans,
ovans tenet caelestia.

Te, Christe, rex piissime,
hic confitendo iugiter,
calcavit hostem fortiter
superbum ac satellitem.

Virtutum actu [4] et fide,
confessionis ordine
ieiuna membra deferens
dapes supernas obtinet [5].

Deo Patri (viii).

A. ignotus – Saec. X (?) – Metr.

Chev. 9494; Jul. 584; Szöv. II, 451 – Thes. I, 110; PL, XVII, 1220; AH, LI, 132 – Brevv.: Ambr., Ben., Carm., Cist., Pm., Praed., Vat.

[1] Haec lect. apparet suspecta, non propter hiatum (qui etiam alibi reperitur: *actu et fide*), sed propter 3am longam in hoc carmine quod est metricum (quamquam non computat elisionem post finalem *-m*: superb*um ac*, virtut*um a*ctu); eam tamen, ut videtur, praebent omnes fontes.

[2] Om. seq. str., quae tantum nuntiat nunc agi de die anniversaria mortis sancti: quod non de omnibus dici potest.

[3] *lutulenta* Thes.; *laeta culta* Ambr.

[4] Ita Thes., AH; quae lect. videtur primigena, sed duplici hiatu laborat; unde fortasse substituenda lect. Rom. et Brevv. *virtute clarus.*

[5] Omissae sunt duae str.: altera, quae iure suppressa est in omnibus Brevv. quia absonam comparationem instituit inter confessores et martyres, in detrimentum martyrum; altera, quae fere repetit 2am str. Ita etiam brevitati consulitur.

Laudes ipsius et oratio ad Christum

Gaude, mater ecclesia,
Christi suffulta gratia,
ob huius sancti[1] merita
nova depromens cantica.

Athleta Christi validus,
pauper, castus, oboediens,
mundum calcans sub pedibus,
manum misit ad fortia[2].

Pius, pudicus, humilis
vivendi normam praebuit:
in lege Christi docilis
verbis, exemplis micuit.

Iesu, dulce refugium,
spes nostra, te laudantium,
ob tanti viri[3] meritum,
peccati solve debitum.

Sit, Christe, tibi gloria[4]
pro multiformi gratia,
qui mundi post haec stadia
das[5] iustis vitae praemia.

A. ignotus – Saltem saec. XV – Rhythm.

Est h. in hon. S. Lucii, paucis aptationibus inductis nunc usurpatus.

Chev. 6839 – AH, XXIII, 226.

[1] *patris nostri* AH.

[2] Haec str. conflata est ex 1° v. 2^{ae} str. (omissis cett. qui de nomine Lucii agunt), 3° et 4° vv. 4^{ae} str. orig., et novo v. (2°) addito ad memorandum eius statum religiosum.

[3] *patris* AH.

[4] *Uni Deo sit gloria* AH; quod mutav. ut sermo in Christum pergeret.

[5] *dat* AH.

Ad Deum et ad Christum

Audi, Deus omnipotens [1],
preces tuorum supplicum,
tui praeclari famuli [2]
sollemnia colentium.

5 Insignis miris actibus
hic fulsit et virtutibus,
lucerna lucens omnibus
domo Dei manentibus.

9 Hic [3] fuit vivens hostia
per huius [4] vitae spatia,
mactavit in se vitia
crucis ferendo stigmata.

13 Huius, o Christe, gloria
iam factus et victoria,
ipsius per suffragia
da nobis vitae gaudia.

17 Sit, Christe (*ut n.* 172).

Fortasse Haimo Hirsaugiensis (saec. XI-XII) – *Rhythm.*

Chev. 1457 – Mone III, 156; MGH, Script. XII, 225; Act. SS. Boll., iul. I, 148; AH, LI, 136.

[1] *hymnizantum* edd.; lect. non toleranda cum paenult. longa; unde subst.
[2] *sancti confessoris tui* edd.; quod mut. p. rh.
[3] Om. 3^{am} str., quae laudat aliquem sanctum conditorem coenobiorum.
[4] *cuncta* orig.; quod non omnibus aptari potest.

Laudes ipsius et oratio

Laudem beati servuli[1]
ad Trinitatis gloriam
sanctae canamus supplices,
quae dat coronam testibus.

Adversa mundi pertulit,
calcavit eius prospera,
in caritatis gratia
semper manens ditissimus[2].

Spernens opes cum casibus
mundi, supernis institit,
liber caducis exiit
nil ambiens ex infimis.

O vir beate, quaesumus,
nobis fave poscentibus[3];
confer boni solacia
vitae parando praemia.

Sit Trinitati gloria,
virtus, honor per saecula,
quae nos beatis caelitum[4]
semper iuvet suffragiis.

Walahfridus Strabo – Metr.

Compositus est in hon. S. Mammetis Mart.; complures str. omissae sunt, quidam vv. necessario aptati.

Chev. 10279; Szöv. I, 428 – Duemmler, II, 296; PL, CXIV, 1062; Act. SS. Boll., aug. III, 429; AH, L, 173.

[1] *martyris* orig.
[2] Haec str. constat ex vv. 1-2 secundae str., et vv. 3-4 tertiae, cett. minus aptis omissis.
[3] *Te, martyr, ergo quaesumus, / Mammes, fave poscentibus* orig.
[4] *martyrum* orig.

Laudes ipsorum

Inclitos Christi famulos canamus,
quos, fide claros nitidisque gestis,
hac die tellus sociata caelo
laudibus ornat.

Quippe qui mites, humiles, pudici,
nesciam culpae coluere vitam,
donec e terris animus volavit
liber ad astra.

Inde iam gaudent miseris adesse,
flentium tergunt lacrimas, medentur
mentium plagis, vitiata reddunt
membra saluti.

Nostra laus ergo resonet benignis
his Dei servis referatque grates;
quia pia pergant ope nos iuvare
rebus in arctis.

Sit salus illi (v).

P. Piacenza († 1919) – *Metr.*

Est in Brev. Rom.: *Commune Sanctorum pro aliquibus locis: Comm. Confess.* (*Pont. et non Pont.*), ad Vesp.: iuxta Decr. S. R. C. d. 22 maii 1914. Auctor Piacenza designatur a P. Veneroni, o. c., p. 213.

AD DEUM

Sanctorum chorus, Deus [1], tuo munere
florifer campus, pace, bello fertilis:
lilia pace rosaeque militia
matura messe conduntur manipulis.

5 Hi [2] nempe viri bellatores fulgidi,
improbus praedo quibus non praevaluit,
secuti Christum candido vestigio
ipsoque duce adepti felicia.

9 Agmina sancta, vinculatos corpore
supplices vestro precum adiutorio,
spiritus iusti, solvite compedibus,
finem felicem ut possimus cernere.

13 Gloria summae Trinitati debita,
simplici Deo honor, iubilatio
Patri Prolique Sanctoque Spiritui,
qui totum subdit suis orbem legibus.

A. ignotus – Saltem saec. IX – Rhythm.

Chev. 18598; Szöv. I, 433 – Mone, III, 145; AH, LI, 127.

[1] *Christe* orig.; quod mut. ut melius in seq. str. diceretur de Christo in 3^a persona et in doxol. sermo non ad eum verteretur.

[2] Om., etiam ad brev., str. quae agit solum de martyribus.

AD IPSOS

Beata caeli gaudia,
confessionis praemium,
Christi o fideles asseclae,
iam possidetis affatim.

5 Laudes benignis auribus
audite, quas effundimus
nos exsules de patria
vobis sacrato cantico.

9 Amore Christi perciti
crucem tulistis asperam,
oboedientes, impigri
et caritate fervidi.

13 Sprevistis artes daemonum
fallaciasque saeculi [1];
Christum fatendo moribus
migrastis inter sidera.

17 Iam nunc potiti gloria
adeste votis omnium
ardenter exoptantium
exempla vestra prosequi.

21 Sit Trinitati gloria,
quae pro sua clementia
vobisque suffragantibus
nos ducat ad caelestia [2].

A. ignotus – Saec. XX – Metr.

Est in Brev. Rom.: *Commune Sanctorum pro aliq. locis: Comm. Confess. non Pont.*, ad Laudes. A. certe recordatus est quorundam vv. aliorum h., puta *Beata nobis gaudia* atque *et caritate fervidi* e Laudibus Pentecostes (n. 116).

[1] *saevumque averni principem* in Brev. Rom.; quod mut. tum propter illud *averni* quod mythologiam sapit, tum ad substituendum novum conceptum illi qui fere repetit in 2° v. quod dictum est in 1°.

[2] In Brev. Rom. est una str. supplicationis in Christum, altera generice doxologica; has contrax., etiam ad brev., continuando sermones in sanctos.

Ad Christum

Christe, sanctorum omnium
aeterna salus hominum,
honor te decet Dominum
qui hunc coronas famulum [1].

Hic haereses eliminat,
errorum nubes profugat,
dissolvens nodos reserat,
aenigmata dilucidat.

Doctrinae panem tribuit,
laqueum mortis diripit,
ex falso verum elicit,
scutum et arma conterit.

Mentem arentem irrigat,
vecordem pie mitigat,
lucerna patens radiat,
verbum aeternum seminat [2].

Sit, Christe (xi).

A. ignotus – Saec. incerto – Rhythm.

Est h. in hon. S. Hieronymi, omnibus aptatus.

Chev. Suppl. 24450 – AH, XXIII, 193.

[1] *qui laureas Hieronymum* AH.

[2] Haec str. composita est ex 1-2 vv. str. 6^{ae}, et 1-2 str. 7^{ae}; str. 4, 5, 8-10 sunt omissae, quae ad Hieronymum referuntur.

Laudes ipsius et oratio

Gaude, fidelis concio,
et benedic altissimo
in die hac laetitiae,
qua confert dona gratiae.

Nam doctor hic sanctissimus [1],
cuius nunc festum colimus [2],
lumen fuit [3] in populo,
exemplar toti saeculo.

Intende, doctor, precibus [4]
quas actu ad te fundimus;
stantes ne cadant robora;
lapsos ut surgant adiuva.

Erroris pelle nubilum
per lucis tuae radium;
fac Deum semper colere
et spem in ipsum ponere.

Laus Trinitati debita,
honor, potestas, gloria,
quae sua ex clementia
praestat salutis praemia.

A. ignotus – Saeculo incerto – Rhythm.

Chev. Suppl. 26963 – AH, XXIII, 89.

[1] *praesul tam sanctissimus* AH.
[2] Om. duos seq. vv.: *migravit ab hoc pelago, / laetatur in empyreo,* et subst. ex str. seq.
[3] *Hic fuit lux* AH; quod necessario mut.
[4] *Eia, intende precibus* AH; mut. tum ad vitandum pravum hiatum et cacophoniam, tum praesertim ut statim appareret flexus sermonis a « fideli concione » ad sanctum ipsum.

IN COMMUNI VIRGINUM

Comm. Virginis et Mart. - *Vp.* **180**

AD CHRISTUM

Virginis proles opifexque matris,
virgo quem gessit peperitque virgo,
virginis festum canimus tropaeum;
accipe votum.

5 Haec tua virgo duplici beata
sorte dum gestit fragilem domare
corporis sexum, domuit cruentum
corpore saeclum.

9 Inde [1] nec mortem nec amica mortis
saeva poenarum genera pavescens,
sanguine fuso meruit sacratum
scandere caelum.

13 Huius obtentu, Deus alme, nostris
parce iam culpis vitia remittens,
quo tibi puri resonemus almum
pectoris hymnum [2].

A. ignotus – Saltem saec. IX – Metr. (cum aliqua licentia).

Chev. 21703; Jul. 1225; Szöv. I, 434; II, 454 – Thes. I, 250; PL. LXXXVI, 913; AH, LI, 137 – Brevv.: Ben., Carm., Cist., Pm., Praed., Vat.

[1] *unde* Thes., Brevv.
[2] Non opus est alia doxol., cum haec str., ut aliae similes, haberi possit doxologica.

Ad Christum

O Christe, flos convallium,
te laudibus extollimus,
quod hanc ornasti virginem
tot gratiae monilibus [1].

5 Haec prudens, fortis, sapiens,
fidem professa libere [2],
pro te dira [3] supplicia
sustulit imperterrita.

9 Sic spreto mundi principe,
tuo ditata munere,
per sanguinis commercia
aeterna tulit praemia [4].

13 Teque rogantes petimus,
Iesu, salvator inclite,
ut piis eius meritis
nostra delicta deleas.

17 Iesu, tibi (xi) [5].

A. ignotus – Saltem saec. IX – Rhythm.

Est 2ª pars h. *Digne te, sancte Domine*, cuius prior usurpatur pro Comm. plur. Virg.

Chev. 4674 – AH, XIV, 139.

[1] *Ex quibus almae virginis / illius beatissimae / cunctis hic tuis famulis / sacratum illuxit dies* orig.; mutandi necessario vv. 1-2, qui conectuntur cum priore parte h.; opportune vv. 3-4, qui fere inutiles sunt; ideo novam str. subst.

[2] *Christi secuta est fidem* orig.; qui v. duritie laborat.

[3] *pro ipso et* orig.

[4] Hymno nimis tenui add. hanc str. ex h. *Hymnum canamus socii* in hon. S. Cyriaci (AH, XIV, 111), str. 2: *Qui spreto... / tuo ditatus munere...*

[5] Hic et in cett. h. de virginibus congruum videtur quod usurpetur doxol. haec, ubi memoratur Virgo virginum; quod et Ambr. facit.

AD CHRISTUM

O castitatis signifer
et fortitudo martyrum,
utrisque reddens praemia,
audi benignus supplices.

5 Haec virgo [1] magni pectoris,
beata sorte duplici
bináque palma nobilis
hic tollitur praeconiis.

9 Sexu potens in debili [2]
contempsit ut fugacia
mundi cruenti gaudia,
aeterna malens munera.

13 Quin te fateri pertinax,
tortoris impias manus
in corpus armavit [3] suum
tibique fudit spiritum.

17 Sic saevientis [4] vulnera
et blandientis vincere
mundi docens illecebram,
fidem docet nos integram.

21 Huius favore debita
nobis remittas omnia,
fomenta tollens criminum
tuamque subdens gratiam.

25 Iesu, tibi (XI).

A. ignotus – H. videtur valde antiquus; est tamen in Brevv. Ambrosianis saec. XV – Metr.

Chev. 12739 – AH, LII, 78.

[1] *matrona* orig.; quae lect. adhibebitur pro *Matrona*, seu coniugata, martyre.
[2] *in debili sexu potens* AH; invert. ad meliorem rhythmum.
[3] *ornavit* ed., quod difficilius potest intellegi; fortasse agitur de lapsu scribarum pro *armavit*.
[4] *lenientis* AH, quod videtur non congruum, cum oppositio sit inter vulnera mundi ferientis et illecebram mundi blandientis; ideo subst.

Ad Christum

Iesu, corona virginum,
quem mater illa concipit
quae sola virgo parturit,
haec vota clemens accipe,

5 Qui pascis inter lilia
saeptus choreis virginum,
sponsus decorus gloria
sponsisque reddens praemia.

9 Quocumque pergis, virgines
sequuntur, atque laudibus
post te canentes cursitant
hymnosque dulces personant.

13 Te deprecamur, largius
nostris adauge mentibus [1]
nescire prorsus omnia
corruptionis vulnera.

17 Iesu, tibi (xi).

S. Ambrosius (?) – Metr.

Chev. 9507-08; Jul. 584; Szöv. I, 428; II, 472 – Thes. I, 112; PL, XVII, 1221; Bir. 128; AH, L, 20; Sim. 80 – Brevv.: Ambr., Ben., Carm., Cist., Pm., Praed., Vat.

[1] *sensibus* Brevv. (excepto Vat.).

LAUDES IPSIUS

Dulci depromat carmine
devota plebs sollemnia,
dum in caelorum culmine
haec virgo micat gloria [1].

5 Virgo, quae Christi laudibus
vacavit iam [2] viriliter,
sanctorum nunc [3] agminibus
coniungitur feliciter.

9 Vicit per pudicitiam
infirmae [4] carnis vitium;
sprevit mundi blanditiam [5]
Christi sequens vestigium [6].

13 Per hanc nos, Christe, dirige [7]
servans a cunctis hostibus;
culparum lapsus corrige
nos imbuens virtutibus.

17 Iesu, tibi (XI).

A. ignotus – Saltem saec. XV – Rhythm.

Compositus in hon. S. Eulaliae, hic pro qualibet virgine usurpatus, nonnullis necessario mutatis.

Chev. 4896 – AH, XVI, 120.

[1] *martyr fulget Eulalia* orig.
[2] *insistebat* orig.; mut. p. rh.
[3] *nunc sanctorum* orig.; invert. p. rh.
[4] *lascivae* orig.; quod videtur aliquantulum crudum.
[5] *saevitiam* orig., quod referri videtur ad martyrium; nunc vero agitur de virgine non martyre.
[6] Om. str. quae refertur ad urbem Barcinonem.
[7] *Hanc urbem, virgo, dirige* orig., quod necessario mut. vertendo sermonem in Christum.

Ad ipsam

Aptata, virgo [1], lampade
ad nuptias ingressa es [2]
aeterni regis gloriae,
quem laudant turbae caelicae.

5 Grata conviva superis,
caelesti sponso iungeris
amplexu casti foederis,
prudens, non compar fatuis.

9 Normam vivendi instrue,
nos prece tua confove,
possimus ut [3] resistere
hostis nostri versutiae.

13 Exemplar vitae virginum,
Maria roget [4] Filium,
ut per eius auxilium
migremus per exsilium.

17 Sit Deitati gloria
per infinita saecula
pro virginis victoria,
qua gaudet caeli curia.

A. ignotus – Saltem saec. XIV – Rhythm.

Compositus cum acrostichide in hon. S. Agnetis.

Chev. 1251 – Mone, III, 180; AH, LII, 89.

[1] *Agnes* orig.

[2] *ad nuptias is* orig.; quod aliquantulum mutandum erat, cum non semper agatur de die natali; servav. autem assonantiam.

[3] *ut possimus* orig.; mut. p. rh.

[4] *tuum implora* orig.; qua lect. statim non apparet fieri improvisum transitum a directo sermone erga virginem ad directum sermonem erga V. Mariam; subst. ita ut sermo pergeret in sanctam.

Ad Deum

Digne te, sancte Domine,
hymnis laudemus subditis,
te virginale qui decus [1]
dignatus es extollere [2],

Redintegrans per gratiam
in alvo sanctae Virginis
matrisque candidissimae [3]
in Eva quod [4] perierat.

Cuius sequentes pariter
iter beatae virgines,
ad tuum usque thalamum
tropaeum gestant proelii.

Accensis cum lampadibus
manu ferentes oleum [5],
Christo felices obviam
occurrunt cum victoria [6].

Iesu, tibi (xi).

A. ignotus – Saltem saec. IX – Rhythm.

Chev. 4674 – AH, XIV, 139.

[1] *qui virginale tu decus* AH; quod mutare debuimus propter detortam constructionem, praesertim propter illud absonum *tu.*

[2] *renovare dignatus es* AH; mut. p. rh.

[3] *Mariae, matris Domini* AH; sed *Domini* est absonum in contextu quo sermo ad ipsum Christum Dominum vertitur; nomen Mariae non est necessarium; melius exprimere aliquod eius attributum.

[4] *quod in Eva* AH; invert. ad meliorem rh.

[5] *oleum ferunt manibus* AH; mut. ad meliorem rh. et sermonis compagem.

[6] *Christo occurrunt obviam / cum beata victoria* AH; mut. *beata,* quod minus convenit *victoriae* et iam exstat v. 10; invert. p. rh. et ad vitandum hiatum.

Ad ipsas

O vos [1], prudentes virgines
atque sollerter vigiles,
contubernales [2] caelicae,
redimitae mirifice,

5 Gemmae micantes undique,
coronae regis insitae,
coruscae pulchritudine,
praecelsae sanctitudine;

9 O rutilantes rosulae
et Engaddenae [3] vineae,
virtutum per spiramina [4]
sanate cordis intima,

13 Ut expiatis vitiis
insertisque virtutibus,
una vobiscum Dominum
laudemus in perpetuum.

17 Iesu, tibi (xi).

A. ignotus – *Saec. XIV* (?) – *Rhythm.*

Chev. Suppl. 31269 – AH, XXX, 145.

[1] *Omnes* AH, necessario mutandum, cum referatur ad eas tantum quae celebrantur.

[2] *o principissae* AH, quod vocab. non videtur opportunum.

[3] *Engadinae* AH; rectius *Engaddenae*, cum tale videatur suffixum adiectiv. in verbis Orientalibus (*Antiochenus, Damascenus,* etc .); insuper ne ambiguitas habeatur cum valle *Engadina* iuxta flumen Oenum.

[4] *per florum vos spiramina* AH, sensu non perspicuo.

Ad Christum

Gaudentes [1] festum colimus
sanctarum Christi virginum,
quae puro corde Dominum
secutae sunt in laudibus.

5 O [2] castitatis lilium,
rex virginum sanctissime,
tu, custos pudicitiae,
fraudes repelle daemonum.

9 Qui [3] castis in visceribus
placaris clementissime [4],
nostros reatus dilue,
dimittens quae peccavimus.

13 Grates precantes agimus;
erramus, viam dirige;
tu, pater indulgentiae,
nobis succurre, quaesumus.

17 Iesu, tibi (xi).

A. ignotus – Saec. incerto, ante XVI – Rhythm.

Chev. 5385 – Thes. IV, 288; AH, LII, 76.

[1] Haec 1ª str. apud edd. est 3ª; huc transtul. ad meliorem, ut videtur, conceptuum coordinationem: tertio enim loco posita, rumpebat cursum totius structurae, qua sermo ad Christum directe vertitur; secus erat omnino mutanda.

[2] *En* edd.; mut., tum quod non satis opportunum videtur, tum quo clarius appareret statim deprecatio.

[3] *Tu* edd.; mut. ut pressius sermo procederet.

[4] *devotissime* edd.; quod omnino absonum hic videtur.

IN COMMUNI MATRONARUM VEL VIDUARUM

Comm. unius Matronae vel Viduae - *Vp.* 189

LAUDES IPSIUS

Fortem virili pectore
laudemus omnes feminam,
quae sanctitatis gloria
ubique fulget inclita.

Haec sanct*o* [1] amore saucia,
dum mund*i* amorem noxium
horrescit, ad caelestia
iter peregit arduum.

Carnem domans ieiuniis,
dulcique mentem pabulo
orationis nutriens,
caeli potitur gaudiis.

Rex Christe, virtus fortium,
qui magna solus efficis,
huius precatu, quaesumus,
audi benignus supplices.

Iesu, tibi sit gloria,
qui nos beatae servulae
sperare das suffragia
ac sempiterna praemia [2].

Silvius Antoniano, card. († 1603) – *Metr.*

Chev. 6472; Jul. 382; Szöv. II, 451 – Thes. IV, 311 – Brevv.: Ben., Cist., Pm., Vat.

[1] Ita Thes.; *Christi* Brevv., quod minus aptum videtur, tum propter cacophoniam, tum praesertim quia paulo post ad Christum sermo dirigitur in 2ª persona (str. 4ª).

[2] Doxol. genericae subst. hanc, quae maiorem praebeat conexionem logicam cum cett. str.

Laudes ipsius

Haec femina laudabilis
et honorata meritis,
ut sanctis pollet moribus [1],
triumphat sic [2] cum angelis.

5 Ex corde devotissimo [3]
orans Deum cum lacrimis,
vigiliis, ieiuniis
inhaerebat assiduis.

9 Abiecit vana omnia,
concupivit aetherea;
nunc possidet caelestia
aeterni regis praemia.

13 Contemnens mundi gloriam
menteque semper integra [4]
perfectam post [5] iustitiam
migravit super sidera [6].

17 Laus un*i* ac trino Domino,
qui nos eius precatibus,
peracto vitae termino,
coniungat caeli civibus.

A. ignotus – Saec. XV (?) – Rhythm.

Compositus in hon. S. Bathildis; str. 3, 7, 9-10.

Chev. 9049 – AH, XLIII, 95.

[1] *moribus quae pollet sanctis* AH, non tolerandum ob longam paenult.

[2] *sic triumphat* AH; invert. p. rh.

[3] *frequentabat ecclesias* AH; quod videtur aliquid prosaicum nec de omnibus fortasse sanctis matronis dicendum; subst. autem ex eodem h. (str. 6, v. 2).

[4] *semper integra*] *devotissima* AH, quod adiect. noluimus repetere.

[5] *post perfectam* AH; invert. p. rh.

[6] *ad caelestia* AH, quod mut. ne item repeteretur *caelestia* (v. 11).

Laudes ipsius et oratio ad Christum

Nobilem Christi famulam diserta
voce cantemus, decus aemulatam
feminae fortis, sacra cui profudit
pagina laudes;

5 Cui fides vivax, pia spes amorque
in Deum fervens, operum bonorum
fertilis radix, amor unde fratrum
nascitur ultro[1].

Pro Martyre

9 Hostium probris nihil atque poenis
haesitans, Christo remanet fidelis,
sanguin*e* ac fuso fidei superna
dogmata firmat.

13 Motus illius meritis, remitte
sontibus nobis scelus omne, Iesu,
ut tibi puro resonemus aequas
pectore laudes.

17 Laus Redemptori (XIII).

F. Reuss, C. SS. R. († 1924) – *Metr.*

In Brev. Rom.: *Commune Sanctorum pro aliq. locis: Comm. plur. non Virginum*, ad Vesperas. Aptatur hic pro una Matr. Auctor indicatur a P. Veneroni, o. c., p. 213.

[1] Om. duas seq. str., quae adhibentur pro Comm. plur. Matr. (n. 194).

Ad Christum

Christe [1], cunctorum sator et redemptor,
siderum, terrae maris atque rector,
omnium laudes tibi personantum
solve reatum,

5 Vase qui gemmas fragili recondis,
viribus fluxas [2] animo pudicas
feminas reddens faciensque claros
ferre triumphos.

9 Quas et in sensu teneras [3] videmus,
praerogativa meriti coronas [4],
incolas regni facis [5] et perennes
esse superni.

13 Laus Redemptori (xiii) [6].

A. ignotus – Saec. XV (?) – *Metr.*

Compositus in hon. S. Radegundis: usurpantur hic str. 1-3.

Chev. 2858 – AH, XI, 228; XLIII, 276.

[1] *Mire* AH, XI.

[2] *fusas* AH, XLIII; quae locutio videtur intellectu difficilior.

[3] *fragiles* orig.; ne repeteretur vocab. (cf. str. praec.), subst.

[4] *praerogativas* AH, XLIII; quod, nisi lapsus sit typographicus, facit v. intellectu difficilem, eo magis quod *coronas,* verbum, videretur substantivum.

[5] *facit* AH, XLIII, quod videtur irrepsisse lapsu typographico.

[6] H. habet doxol. suam, indolis tamen genericae nec peculiari venustate praeditam; unde communem subst.

LAUDES IPSARUM

Hae feminae laudabiles
et honoratae meritis,
ut sanctis pollent moribus,
triumphant sic cum angelis.

5 Ex corde devotissimo
in fletu orantes Dominum,
vigiliis, ieiuniis
inhaerebant assiduis.

9 Fugerunt vana omnia,
concupierunt supera,
nunc possident caelestia
aeterni regis praemia.

13 Spernentes mundi gloriam
menteque semper integra
perfectam post iustitiam
migrarunt super sidera.

17 Laus un*i* ac trino Domino,
qui nos earum precibus,
peracto vitae termino,
coniungat caeli civibus.

Est h. *Haec femina laudabilis* (n. 190) aptatus plurali numero.

Laudes ipsarum

Nobiles Christi famulas diserta
voce cantemus, decus aemulatas
feminae fortis, sacra cui profudit
pagina laudes [1].

Non eas mundus laqueis revinxit,
quas Deus iussis regit hinc volentes,
ut bonum Christi satagant ubique
sparger*e* odorem.

Edomant corpus, precibusque mentem
nutriunt sanctis; peritura temnunt
lucr*a*, ut inquirant sibi permanentis
praemia vitae.

Pro Martyribus

Hostium probris nihil atque poenis
territae, Christo remanent fideles,
sanguin*e* ac fuso fidei superna
dogmata firmant.

Sit Deo soli decus et potestas,
laus in excelsis honor et perennis,
qui suis totum moderans gubernat
legibus orbem.

F. Reuss, C. SS. R. – *Metr.*

In Brev. Rom.: *Commune Sanctorum pro aliq. locis: Comm. plur. non Virg.*, ad Vesp. Auctor indicatur a P. Veneroni, o. c., p. 213.

[1] Om. duas str., quae adhibentur in Comm. unius Matr. (n. 191).

IN FESTIS B. MARIAE V.
ET SANCTORUM

IN FESTIS B. MARIAE V.

A) IN FESTIS MAIORIBUS

8 dec.

Immacul. Concept. B. M. V. - *Vp.* **195**

AD IPSAM

Praeclara custos virginum
Deique mater innuba [1],
caelestis aulae ianua,
spes nostra, caeli gaudium:

5 Inter rubeta lilium,
columba formosissima,
virg*a* e radice germinans
nostro medelam vulneri:

9 Turris dracon*i* impervia,
amica stella naufragis,
tuere nos a fraudibus
tuaque luce dirige.

13 Erroris umbras discute,
syrtes dolosas amove,
fluctus tot inter, deviis
tutam reclude semitam.

17 Quae [2] labe nostrae originis
intacta splendes unica,
serpentis artes aemuli
elude vindex inclita.

21 Patri sit (xv).

A. ignotus – *Saec. XVII* (Szöv.) - *Metr.*

Chev. 15232; Szöv. II, 452 – Thes. IV, 340 – Brevv. omnia.

[1] *intacta mater Numinis* ed., Brevv.; mut. cum *Numinis* sapiat mythologiam.

[2] H. adhibebatur in festo Puritatis B. M. V. (cf. Thes. l. c.), et ad hoc fortasse compositus erat; cum fere nihil tangat de mysterio Concept. Immacul. (praeter illud *Turris draconi impervia*), opportunum visum est addere hanc str.

8 dec.

Immacul. Concept. B. M. V. - *O. lect.* - *A* **196**

LAUDES IPSIUS

Salve, mater Salvatoris,
vas electum, vas honoris,
vas caelestis gratiae;

Ab aeterno vas provisum,
vas insigne, vas excisum
manu Sapientiae.

Salve, Verbi sacra parens,
flos de spina, spina carens,
flos, spineti gloria.

Nos spinetum, nos peccati
spina sumus cruentati,
sed tu spinae nescia.

Palmam praefers singularem,
nec in terris habes parem,
nec in caeli curia;

Laus humani generis,
virtutum prae ceteris
habes privilegia.

Iesu, Verbum summi Patris,
iuva [1] servos tuae matris;
solve reos, salva gratis
et nos tuae claritatis
configura gloriae.

Ascribitur Adamo de S. Victore – Rhythm.

Str. 1, 2, 3, 4, 15, 16, 24.

Chev. 18051; Szöv. II, 481 – PL, CXCVI, 1501; Gautier, 186; AH, LIV, 383.

[1] *serva* orig.; qui lusus verborum nunc non placet.

Ad ipsam

Te dicimus praeconio,
mater Dei purissima[1];
nostris benigna laudibus
tuam repende gratiam.

5 Sontes Adami posteri,
infecta proles gignimur;
labis paternae nescia
tu sola, Virgo, crederis.

9 Caput draconis invidi
tu conteris vestigio,
gerisque sola gloriam[2]
intaminat*ae* originis.

13 Nostrae decus propaginis[3],
quae tollis Ev*ae* opprobrium,
tu nos tuere supplices,
tu nos labantes erige.

17 Serpentis antiqui potens
astus retund*e* et impetus,
ut caelitum perennibus
per te fruamur gaudiis.

21 Patri sit (xv).

Perhibetur compositus a. 1891, fortasse ab ipso *Summo Pontifice Leone XIII – Metr.*

Desumptus ex Off. B. M. V. de Lapurdo (11 febr.).

Chev. 20095; Szöv. II, 453 – Brevv. 1891.

[1] *intacta mater Numinis* a.; sed v., sumptus ex h. praec. (n. 195; cf. not. 1), erat eadem ratione mutandus.
[2] *et sola gloriam refers* orig.; paululum mut. ad meliorem rh.
[3] *O gentis humanae decus* orig.; mut. ad meliorem rh.

Immacul. Concept. B. M. V. - *Ld.* **198**

AD IPSAM

In plausu grati carminis
adsit nova laetitia,
dum Dei matris virginis
sacra dantur initia.

5 Maria, mundi gloria,
lucis aeternae filia,
te praeservavit Filius
ab omni labe penitus.

9 Originalis macula
cuncta respersit saecula;
sola post Natum vitiis
numquam contacta diceris.

13 Caput serpentis callidi
tuo pede conteritur [1];
fastus gigantis perfidi
David funda devincitur.

17 Columba mitis, humilis,
fers, carens felle criminis [2],
signum Dei clementiae
ramum virentis gratiae.

21 Patri sit (xv).

1. H. *In plausu: A. ignotus – Saec. XV – Rhythm.*
2. H. *Exsultet caeli concio:* item.

Str. 1, 4-5 desumptae sunt ex h. *In plausu;* 2-3 ex h. *Exsultet.*

1. Chev. 8731 – AH, IV, 44.
2. Chev. 5816; Szöv. II, 427 – AH, IV, 42; XXIII, 62.

[1] *Cuius* (scil. Mariae) *serpentis callidi / pede caput conteritur* AH; ordinem mut. ad maiorem perspic.

[2] *Quae felle caret criminis* AH; non solum aptav. ad 2^am^ personam grammat.; sed etiam mut. ut insereretur necessarium verbum *fers,* sine quo vacillant duo vv. seq.

CELEBRATIO MYSTERII

De sacro tabernaculo
virtutum flos egreditur;
in montis diverticulo
odor Mariae spargitur.

Ex caritatis germine
Elisabeth appropiat,
et pietatis culmine
ipsam devote visitat.

Salutat servam domina,
haec matrem Christi nominat:
confertur ingens gratia,
matrem et prolem satiat.

Christi sic incarnatio [1]
per nondum natum panditur;
adorat hunc [2] cum gaudio
qui ventre matris clauditur.

Clamat senex in iubilo
videns Mariae gloriam:
« Beata credens Angelo
quam attulit laetitiam » [3].

Praesta, Virgo piissima,
sufficiens auxilium;
cum sis mater largissima,
nos visites in saeculum.

Tecum, Virgo, magnificat
anima nostra Triadem,
quod te beatam fecerit
cunctisqu*e* amandam gentibus [4].

A. Easton, card. († 1397) – *Rhythm.*

Chev. 4252; Szöv. II, 465 – Thes. I, 285; Mone, II, 116; AH, LII, 50; Chev., Poésie, 196.

[1] *En Christi incarnatio* edd., cum duro hiatu *ii.*

[2] Ita Thes.; *hunc adorat* Mone, AH, sed peiore rh.

[3] *fuisti rem veridicam* edd., quo v. tota expressio contorta fit; debile est etiam illud *rem veridicam.* Om. seq. str. parum claram.

[4] Pro doxol., quae deest, add. str. quae mentioni SS. Trinit. et B. Virg. Visitationis simul consuleret.

Ad ipsam

Salve, mater misericordiae,
mater spei et mater veniae,
mater Dei et mater gratiae,
mater plena sanctae laetitiae[1].

Benedicta in mulieribus
quae de tuis castis visceribus
peperisti pacem hominibus,
plena semper donis caelestibus.

Vallis vernans virtutum liliis,
tota fluens summis deliciis,
mater sancta, tuis suffragiis
condescende nostris miseriis.

Iesu mater, summae clementiae,
summae laudis et excellentiae,
sta pro nobis in caelis hodie
ut nos tecum fruamur requie.

Te creavit Pater ingenitus,
obumbravit te Unigenitus,
fecundavit te Sanctus Spiritus:
ipsis honor ex corde penitus[2].

A. ignotus – Saec. XIV (?) – Rhythm.

Carmen notissimum, cui nomen « Iubilus aureus B. M. V. », in suo genere pulcherrimum ac perfectum, constans ex 100 str., ex quibus selectae sunt 1, 26, 43, 97, 4. Vulgo cantantur quaedam str., et ipsae suaves, quae vv. aliquantulum postea mutatis vel novis constituuntur. Adv. in hoc f. B. Virginem coli a populo tamquam « matrem gratiarum ».

Chev. 18032; Szöv. II, 481 – AH, XXXII, 176.

[1] *mater, inquam, totius gloriae* AH; melior visus est v. vulgatus.

[2] Haec str. est 4ª carminis; huc transtulim. cum bene aptaretur doxol.; ideo etiam 4um v. mut., qui sic in orig. sonat: *dum es facta tota divinitus.*

Ad ipsam

Veni, praecelsa Domina;
Maria, tu nos visita,
quae tot cognatae domui
iam attulisti gaudia [1].

Veni, iuvamen [2] saeculi,
sordes aufer piaculi;
in visitando populum
poenae tolle periculum [3].

Veni, stella, lux marium,
infunde pacis radium;
rege quodcumque devium,
da vitam innocentium.

Veni, precamur, visites
nobisque vires robores
virtute sacri impetus,
ne fluctuetur animus.

Veni, virga regalium,
reduc fluctus errantium
ad unitatem fidei,
in qua salvantur caelici.

Veni, tecumque Filium
laudemus in perpetuum,
cum Patre et Sancto Spiritu,
qui nobis dent auxilium [4].

A. ignotus – Saec. XII – Rhythm.

Hic h., qui olim valde quibusdam displicuit (cf. quae notat Daniel, Thes. cit., nec omnino recte; et Guéranger, aequo iudicio), nonnullis inductis mutationibus nullam cuiquam offensionem offeret.

Chev. 21231 – Thes. II, 165; Mone, II, 125; AH, LIV, 301; Guéranger, Ann. lit., Pent. III, 526; Chev., Poésie, 197.

[1] *aegras mentes illumina / per sacra vitae numina* edd.; quae posterior locutio non clara est. Melius autem visum est substituere aliquid quod memoraret mysterium.

[2] *salvatrix* edd., quod etsi potest recte dici sensu catholico, ad vitandam tamen omnem offensionem ita subst.

[3] In edd. sequuntur tres str.; 3ª *Veni, regina gentium / dele flammas reatuum / rege... / da... //* 4ª *Veni, ut anum visites, / Maria, vires robores / virtute... / ne... //* 5ª *Veni stella... / infunde... / exsultet cor in gaudium / Ioannis ante Dominum.* Ex his tribus duas contrax., expellendo non aptam mentionem Elisabeth et Ioannis, et conceptum peccatorum iam in 2ª str. expressum.

[4] *Veni, laudemus Filium, / laudemus Sanctum Spiritum, / laudemus Patrem unicum / qui nobis det auxilium* edd.; mut. addendo *tecum* ad pressius notandam conditionem Virginis quae est et ipsa creatura, et auferendo *unicum* quod non videtur congruum pro solo Patre.

Ad ipsam

Concito gressu petis alta montis,
Virgo, quam matrem Deus ipse fecit,
ut seni matri studios*i* amoris
pignora promas.

5 Cum salutantis capit illa vocem,
abditus gestit puer exsilire,
te parens dicit dominam, salutat
teque beatam.

9 Ipsa praedicis fore te beatam
Spiritu fervens penitus loquente,
ac Deum cantu celebras amoeno
magn*a* operantem.

13 Teque felicem populi per orbem
semper, o mater, recitant ovantes
atque te credunt Domini favorum
esse ministram.

17 Quae ferens Christum nova semper affers
dona, tu nobis fer opes salutis,
qui pie tecum Triadem supernam
magnificamus.

Unus e nostris – Metr.

Cum paucos invenerimus hymnos veteres qui hoc mysterium apte celebrent, audemus novum proponere.

Ad ipsam

Gaudium mundi, nova stella caeli,
procreans solem, pariens parentem,
da manum lapsis, fer opem caducis,
virgo Maria.

5 Te Deo factam liquet esse scalam
qua tenens summa[1] petit[2] altus ima;
nos ad excelsi remeare caeli
culmina dona.

9 Te beatorum chorus angelorum,
te prophetarum[3] et apostolorum
ordo praelatam[4] sibi cernit unam
post Deitatem.

13 Laus[5] sit excelsae Triadi perennis,
quae tibi, Virgo, tribuit coronam,
atque reginam statuitque nostram
provida matrem[6].

S. Petrus Damiani – Metr. (cum consonantia interna, iuxta morem vv. leoninorum).

Chev. 7181; Szöv. I, 426 – Thes. IV, 286; PL, CXLV, 934; AH, XLVIII, 32; Lokr. 111 – Brev. Carm.

[1] *summum* Carm.: quae evidens correctio est ad vitandam syll. brevem auctoris; qui tamen ita caesuram tractat, ut v. quasi in duos versiculos dividatur; unde explicabis etiam seq. *prophetarum // et* sine elisione.

[2] *petat* Thes.

[3] *te sacri vates* Carm.; correctio, de qua cf. not. 1.

[4] *praeclarus* Thes.

[5] Om. str. 4-6, quae generice de B. V. loquuntur.

[6] Doxol. a., quae nominat Mariam sed nihil addit relate ad mysterium, hanc subst. ex h. *Solis o Virgo* (n. 206).

LAUDES IPSIUS

O quam glorifica luce coruscas,
stirpis Davidicae regia proles,
sublimis residens, virgo Maria,
supra caeligenas aetheris omnes.

5 Tu, cum virgineo mater honore,
caelorum [1] Domino pectoris aulam
sacris visceribus casta parasti;
natus hinc Deus est corpore Christus:

9 Quem cunctus venerans orbis adorat,
cui nunc rite genu flectitur omne,
a quo te petimus subveniente [2]
abiectis tenebris gaudia lucis.

13 Hoc largire, Pater luminis omnis,
Natum per proprium, Flamine Sancto,
qui tecum nitida vivit in aethra
regnans ac moderans saecula cuncta.

A. ignotus – *Saltem saec. IX* – *Metr.* (vv. glycon. catal. + adon.).

Hic h. apud antiquos ut proprius huius festi habebatur.

Chev. 13516; Jul. 845; Szöv. I, 430; II, 477 – Thes. IV, 188; AH, LI, 146; Chev., Poésie, 217 – Brevv.: Carm., Cist., Pm.

[1] *angelorum* edd., quae lect. videtur mendosa, non solum propter superabundantem syll., sed praecipue propter creticum qui extra regulam substitueretur spondaeo; ideo admis. lect. Carm., quamvis non sit in mss.

[2] *a te petimus subveniente* Thes., certo mendose; *a quo nos petimus te veniente* AH, Pm.; sed absentia vocabuli *nos* vel substitutio vocabuli *te* loco illius in quibusdam mss., et locutio aliquomodo impropria *te veniente* loco *te subveniente* vel *adveniente*, suspicionem inducunt lectionem orig. mutatam esse ex illo *te* non rite intellecto ut ablat. concordante cum *subveniente*. Carm. mutavit *a quo nos petimus te mediante*. Lect. nostra, quae concordat cum Cist., magis servat textum originarium, ac fortasse illum reddit.

Laudes ipsius et oratio

Aurora velut fulgida,
ad caeli meat culmina
ut sol Maria splendida,
tamquam luna pulcherrima.

5 Regina mundi hodie
thronum conscendit gloriae,
illum enixa Filium
qui est ante luciferum.

9 Assumpta super angelos,
excedit et archangelos;
cuncta sanctorum merita
transcendit una femina.

13 Quem foverat in gremio,
locarat in praesaepio,
nunc regem super omnia
Patris videt in gloria.

17 Pro nobis, Virgo virginum,
tuum deposce Filium,
per quam nostra susceperat,
ut sua nobis praebeat.

21 Sit laus Patri cum Filio
et Spiritu Paraclito,
qui te prae cunctis caelica
circumdederunt gloria [1].

S. Petrus Damiani – Rhythm.

Chev. 1665; Szöv. I, 423 – Thes. I, 226; PL, CXLV, 934; AH, XLVIII, 33; Lokr. 113.

[1] Doxol. genericae orig. subst. hanc quae memorat mysterium.

15 aug.

Assumpt. B. M. V. - *Ld.* **206**

AD IPSAM

Solis, o Virgo, radiis amicta,
bis caput senis redimita stellis,
luna cui praebet pedibus scabellum,
inclita fulges.

Mortis, inferni domitrixque culpae [1],
assides Christo studiosa nostri,
teque reginam celebrat potentem
terra polusque.

Asseclas [2] diae fidei tuere;
dissitos [3] adduc ad ovile sacrum;
quas diu gentes tegit umbra mortis
undique coge.

Sontibus mitis veniam precare,
adiuva flentes, inopes et aegros,
spes mica cunctis per acuta vitae
certa salutis.

Laus sit excelsae Triadi perennis,
quae tibi, Virgo, tribuit coronam,
atque reginam statuitque nostram
provida matrem.

V. Genovesi, S. I. – *Metr.*

Szöv. II, 453.

[1] *noxae* orig.; subst. ad vitandam cacophoniam.
[2] Ad brev. om. 3^am^ str.
[3] *transfugas* orig.; subst., ratione oecumenica, ipso a. consentiente.

Ad ipsam

Beata Dei genetrix,
nitor humani generis,
per quam de servis liberi
lucisque sumus filii;

5 Maria, virgo regia,
David stirpe progenita,
non tam paterna nobilis
quam dignitate subolis,

9 Tu nos, avulso veteri,
complanta novo germini;
per te sit genus hominum
regale sacerdotium.

13 O singularis domina,
sola virgo puerpera,
praeclara vitae ianua
qua caeli patent atria,

17 Tu nos culparum nexibus
sacris absolve precibus;
tua promentes merita
ad caeli transfer praemia.

21 Sit Trinitati gloria,
o Virgo nobilissima,
quae te suorum munerum
thesaurum dat magnificum [1].

S. Petrus Damiani – Rhythm.

H. est compositus ex 1ª str. h. *Beata*, et ex duobus h. *Maria virgo* et *O singularis*, pertinentibus ad varias Horas unici Off. de B. M. V.

Beata: Chev. 2328; Szöv. I, 423 – PL, CXLV, 936; AH, XLVIII, 34; Lokr. 124.
Maria, virgo: Chev. 11146; Szöv. I, 429 – PL, CXLV, 937; AH, XLVIII, 37; Lokr. 126.
O singularis: Chev. 13738; Szöv. I, 430 – PL, CXLV, 936; AH, XLVIII, 36; Lokr, 126.

[1] Doxol. genericae subst. hanc propriam, servando assonantiam quae est in cett. str.

Ad ipsam

Ave, mundi spes [1], Maria,
ave, mitis, ave, pia,
ave, plena gratia;

Ave, virgo singularis,
5 quae per rubum designaris
non passum incendia.

Ave, rosa speciosa,
ave, Iesse virgula:

9 Cuius fructus nostri luctus
relaxavit vincula.

O quam sancta, quam serena,
quam benigna, quam amoena
13 esse virgo creditur,

Per quam servitus finitur,
porta caeli aperitur
et libertas traditur.

17 Laudes sanctae Trinitati
celebramus omnes grati,
quod es facta nobis via
ad salutem, o Maria [2].

A. incertus – Saec. XII

Om. str. 5-12, 15, 17.

Chev. 1974; Szöv. I, 423, II, 461 – Mone, II, 303; Thes. V, 136; Gautier, II, 381; AH, LIV, 340.

[1] *spes mundi* AH; sequimur tamen lect. plurimorum cdd., ad meliorem rh.

[2] Ultima str. orig. est: *Sed nos tua sancta prece / mundans a peccati faece / collocet in lucis domo. / Amen dicat omnis homo.* Eodem rhythmo novam str. subst. ut carmen apta doxol. terminaretur.

8 sept.

Nativ. B. M. V. - *Ld.* **209**

AD IPSAM

O sancta mundi domina,
regina caeli inclita,
o stella maris fulgida [1],
virgo mater mirifica [2],

Emerge, dulcis filia [3],
nitesce iam, virguncula,
florem latura nobilem,
Christum Deum et hominem.

Natalis tui annua
en colimus sollemnia,
quo stirpe delectissima [4]
mundo fulsisti genita.

Per te sumus terrigenae
simulque iam caeligenae,
pacati pace nobili
more non aestimabili [5].

Sit Trinitati gloria
per saeculorum saecula,
cuius vocaris munere
mater beat*a* ecclesiae [6].

A. ignotus – Saltem saec. X – Rhythm.

Chev. 13691 – Mone, II, 26; Thes. IV, 137; 188; AH, LI, 139; Chev., Poésie, 232.

[1] *Maria* edd.; subst. propter intolerabilem rh., cum legendum esset *Mária.*

[2] *deifica* edd.; quod vocab. non congruum videtur.

[3] Memorat prudentianum « Emerge dulcis pusio »: cf. Nativ. Dni (n. 72).

[4] *a lectissima* Mone, Thes. 137; *electissima* Thes. 188; *allectissima* AH, quae tamen lect. nimis exquisita et insolita videtur; ad vitandum hiatum subst. *delectissima.*

[5] *inaestimabili* edd.; mut. ad vitandum hiatum.

[6] In edd. doxol. (nescimus an orig.): *Sit Trinitati gloria, / sit semper ac victoria / in unitate solida / per saeculorum saecula.* Mut. ut sermo pergeret in B. Mariam et aliquid de eius praerogativis adderet.

B) IN FESTIS MINORIBUS

11 febr.

B. M. V. de Lapurdo - (*O. lect.* Te dicimus praeconio, *n.* 197) - *Ld.* **210**

Ad ipsam

Aurora soli praevia,
felix salutis nuntia,
in noctis umbra[1] plebs tua
te, Virgo, supplex invocat.

Torrens nefastis fluctibus
cunctos trahens voragine,
leni residit aequore,
cum transit Arca foederis.

Dum torret arescens humus,
tu rore sola spargeris;
tellure circum rorida,
intacta sola permanes.

Fatale virus evomens
attollit anguis verticem;
at tu draconis turgidum
invicta conteris caput[2].

Mater benigna, respice
fletus precesque supplicum,
et dimicantes, tartari
victrix, tuere ab hostibus.

Iesu, tibi (XI).

A. incertus – *Anno* 1890 c. – *Metr.*

Chev. Suppl. 23333; Szöv. II, 450 – Brevv.: Carm., Praed., Vat.

[1] Magis fortasse congrueret si diceretur *surgente luce.*
[2] Hoc vocab. terminale cum rhythmo parum dulci non videtur expedire; melius sonaret *caput potenter conteris.*

MEMORIA APPARITIONIS ET ORATIO

Omnis expertem maculae Mariam
edocet summus fidei magister;
Virginis gaudens celebrat fidelis
terra triumphum.

5 Ipsa se praebens humili puellae
Virgo spectandam, recreat paventem,
seque conceptam sine labe sancto
praedicat ore.

9 O specus felix, decorata divae
matris aspectu! veneranda rupes,
unde vitales scatuére pleno
gurgite lymphae! [1]

13 Supplicum, Virgo, miserata casus,
semper o nostros refove labores,
impetrans maestis bona sempiternae
gaudia vitae.

17 Sit decus Patri, genitaeque Proli,
et tibi, compar utriusque virtus,
Spiritus semper, Deus unus, omni
temporis aevo.

A. incertus; fortasse ipse Leo XIII – *In Off. pr. Tarbiens. a.* 1891 – *Metr.* Chev. 14119; Szöv. II, 452 – Brevv.: Carm., Praed., Vat.

[1] Sequuntur duae str., omittendae tum ad brev., tum quia non congruunt Ecclesiae universali; possunt autem servari in Gallia: *Huc catervatim pia turba nostris, / huc ab externis peregrina terris / affluit supplex et opem potentis / Virginis orat. // Excipit mater lacrimas precantum, / donat optatam miseris salutem; / compos hinc voti patrias ad oras / turba revertit.*

MEDITATIO DOLORUM EIUS

Stabat mater dolorosa
iuxta crucem lacrimosa,
dum pendebat Filius.

Cuius animam gementem,
contristatam [1] et dolentem
pertransivit gladius.

O quam tristis et afflicta
fuit illa benedicta
mater Unigeniti!

Quae maerebat et dolebat
pia mater [2] cum videbat
Nati poenas incliti.

Quis est homo qui non fleret,
matrem Christi si videret
in tanto supplicio?

Quis non posset contristari,
piam matrem contemplari
dolentem cum Filio?

Pro peccatis suae gentis
vidit Iesum [3] in tormentis
et flagellis subditum.

Vidit suum dulcem Natum
morientem [4], desolatum,
cum emisit spiritum.

Christe, cum sit hinc exire,
da per matrem me venire
ad palmam victoriae [5].
Amen.

Multis ascriptus, praesertim (sed adhuc dubie) *Iacobo de Benedetti*, Tudertino (*Iacopone da Todi*, † 1306) – *Rhythm.*

Cum hoc mirum ac celeberrimum carmen egressurum videatur e Missa, opportunum ducimus huc invehere, ne tanta gemma poeseos et pietatis christianae pereat. Ceterum usque ad recentem aetatem exstabat etiam in Brev. Rom., fer. VI post Dom. I Pass., in tres partes divisum, quarum prima duas quoque seq. strophas continebat, quas initio secundae partis reservamus, ipsi carminis structurae attendentes.

Chev. 19416; Jul. 1081-84; Szöv. I, 433; II, 482 – Mone, II, 147; Thes. II, 133; V, 59; AH, LIV, 312 – Miss. Rom.; Brev. Carm. (fer. VI p. Dom. Pass.).

[1] Ita Thes., Miss. Rom.; *contristantem* Mone, AH; quae lect., quamvis posset esse orig., postponenda videtur propter sensum aequivocum.

[2] Ita Miss. Rom.; *et tremebat* edd., quod minus placet tum nimia repetitione illius *-ebat*, tum praesertim sensu, qui minus videtur aptus dignitati B. M.

[3] Ita Mone, Thes., Miss. Rom. cum plurimis cdd.; *Iesum vidit* AH.

[4] Ita Thes., AH cum plurimis cdd.; *moriendo* Mone, Miss. Rom. cum paucis.

[5] Hanc str., de qua cf. n. 214, not. 7, hic ponimus ut concludat h. tamquam doxologia.

15 sept.

B. M. V. Perdolentis - *Ld.* 213

Ad ipsam

Eia, mater, fons amoris,
me sentire vim doloris
fac, ut tecum lugeam.

Fac ut ardeat cor meum
in amando Christum Deum,
ut sibi complaceam.

Sancta mater, istud [1] agas,
Crucifixi fige plagas
cordi meo valide.

Tui Nati vulnerati,
tam dignati pro me pati
poenas mecum divide.

Fac me vere tecum [2] flere,
Crucifixo condolere,
donec ego vixero.

Iuxta crucem tecum stare,
te libenter [3] sociare
in planctu desidero.

Christe, cum sit hinc exire,
da per matrem me venire
ad palmam victoriae [4].
Amen.

Est 2ª pars carminis *Stabat* (str. 9-14).

[1] Ita Mone, Thes., Miss. Rom. cum multis cdd.; *illud* AH.

[2] Ita edd., quod confirmatur ex consonantia interna (*vere- flere*); *tecum pie* Miss. Rom. iuxta quosdam cdd.

[3] Ita Thes., AH; *meque tibi* Mone; *ac me tibi* Miss. Rom. Adv. quod *sociare* hic adhibetur eo sensu quo *comitari*.

[4] Ut in h. praec., haec str. ponitur tamquam doxologia.

AD IPSAM

Virgo virginum praeclara,
mihi iam non sis amara,
fac me tecum plangere.

Fac ut portem Christi mortem,
passionis fac me sortem [1]
et plagas [2] recolere.

Fac me plagis vulnerari,
cruce hac inebriari [3]
et cruore Filii [4].

Flammis urar ne succensus [5],
per te, Virgo [6], sim defensus
in die iudicii.

Fac me cruce custodiri,
morte Christi praemuniri,
confoveri gratia [7].

Quando corpus morietur,
fac ut animae donetur
paradisi gloria [8].

Est 3ª pars carminis (str. 15-20).

[1] *passionis eius sortem* AH, quod videtur absonum post illud *fac ut*; item *passionis* (*passione* Mone) *fac consortem* Thes., Mone, Miss. Rom., non symmetrice cum *plagas recolere*; meliorem dux. lectionem praebitam compluribus cdd.

[2] *poenas* Mone.

[3] Ita Thes., AH; *cruceque me fac beari* Mone; *fac me cruce inebriari* Miss. Rom., quod videtur certe mendosum propter elisionem, quae semper in hoc carmine vitatur.

[4] *ob amorem Filii* edd.; *et cruore* Miss. Rom. cum plurimis cdd., et videtur lectio aptior contextui str.

[5] *inflammatus et accensus* edd., cuius lect. sensus non apparet perspicuus; *flammis ne urar succensus* Miss. Rom. cum plurimis cdd., e quibus quidam *urar ne* meliore rhythmo ac sine hiatu, quare praetul.

[6] *pia* Mone.

[7] Ita Thes., AH; *Christe, cum sit hinc transire* (*exire* Miss. Rom.), / *da per matrem me venire* / *ad palmam victoriae* Mone, Miss. Rom. cum compluribus cdd.; quae lectio certe pulchra ac devota est, unde adhibita est in hymnis praec. ut doxol.; altera tamen videtur orig. et magis organice coniuncta cum toto contextu, in quo sermo semper ad B. M. dirigitur. Etiam consonantia optima manet inter *grati*a et *glori*a, secus ac in lectione Miss. Rom.

[8] *fac ut anima donetur* / *paradisi gloriae* Mone; quae videtur correctio ad restaurandam perfectam consonantiam cum *victori*ae.

7 oct.

B. M. V. a Rosario - *I Vp.* (*sicubi habeantur*). **215**

AD IPSAM, CUM MEMORIA OMNIUM MYSTERIORUM

Te gestientem gaudiis,
te sauciam doloribus,
te iug*i* amictam gloria,
o Virgo Mater, pangimus.

5 Ave, redundans gaudio
dum concipis, dum visitas,
et edis, offers, invenis,
mater beata, Filium.

9 Ave, dolens et intimo
in cord*e* agonem, verbera,
spinas crucemque Filii
perpessa, princeps martyrum.

13 Av*e*, in triumphis Filii,
in ignibus Paracliti,
in regn*i* honor*e* et lumine
regina fulgens gloria.

17 Venite, gentes, carpite
ex his rosas mysteriis
et pulchr*i* amoris inclitae
matri coronas nectite.

21 Iesu, tibi (XI) [1].

E. Sirena, O. P. – *Saec. XVIII* – *Metr.*

Chev. 20114, Szöv. II, 453 – Brevv. omnia, excepto Ambr.

[1] Brevv. Cist. et Praed. habent hic et in h. seqq. doxol. propriam: *Sit Trinitati gloria, / quae sacra per mysteria / orantibus det gratiam, / qua consequantur gloriam*: in qua non placet repetitio vocab. *gloria,* nec omissio mentionis B.M.V.

7 oct.

B. M. V. a Rosario - *O. lect.* **216**

Recoluntur mysteria gaudiosa

Caelestis aulae nuntius,
divina pandens numina [1],
plenam salutat gratia
Dei parentem Virginem.

Virgo propinquam sanguine
matrem Ioannis visitat,
qui, clausus alvo, gestiens
adesse Christum nuntiat.

Verbum, quod ante saecula
e mente Patris prodiit,
e matris alvo virginis
mortalis infans nascitur.

Templo puellus sistitur
legique paret legifer;
hic se Redemptor immolat
vili redemptus munere [2].

Quem iam dolebat perditum,
mox laeta mater invenit
ignota doctis mentibus
edisserentem Filium.

Iesu, tibi (xi).

Th. A. Ricchini, O. P. († 1779) – *Metr.*

Chev. 3448; Szöv. II, 450 – Brevv. omnia, excepto Ambr.

[1] *arcana pandens Numinis* orig.; paululum mut. ad auferendum *Numen* quod idem esset ac *Deus*; subst. *numina* sensu vulgato *praeceptorum, mandatorum.*

[2] *hic se Redemptor paupere / pretio redemptus immolat* orig.; paululum mut. ad vitandum *pretio,* quod versum facit una syll. redundantem.

7 oct.

B. M. V. a Rosario - *Ld.* **217**

Recoluntur mysteria dolorosa

In mont*e* olivis consito
Redemptor orans procidit,
maeret, pavescit, deficit,
sudore manans sanguinis.

A proditore traditus
raptatur in poenas Deus,
durisque vinctus nexibus
flagris cruentis caeditur.

Intext*a* acutis sentibus,
corona contumeliae
squalenti amictum purpura
regem coronat gloriae.

Molis crucem ter arduae
sudans, anhelans, concidens,
ad montis usque verticem
gestare vi compellitur.

Confixus atro stipite
inter scelestos innocens,
orando pro tortoribus
exsanguis efflat spiritum.

Iesu, tibi (xi).

Th. A. Ricchini, O. P. – *Metr.*

Chev. 8687; Szöv. II, 451 – Brevv. omnia, excepto Ambr.

B. M. V. a Rosario - *Vp.* **218**

RECOLUNTUR MYSTERIA GLORIOSA

Iam morte, victor, obruta,
ab inferis Christus redit,
fractisque culpae vinculis
caeli recludit limina.

5 Visus satis mortalibus,
ascendit ad caelestia
dextraeque Patris assidet
consors paternae gloriae.

9 Quem iam suis promiserat,
Sanctum daturus Spiritum,
linguis amoris igneis
maestis alumnis impluit.

13 Soluta carnis pondere
ad astra Virgo tollitur,
excepta caeli iubilo
et angelorum canticis.

17 Bis sena cingunt sidera
almae parentis verticem;
throno propinqua Filii
cunctis creatis imperat.

21 Iesu, tibi (XI).

Th. A. Ricchini, O. P. – *Metr.*

Chev. 9290; Szöv. II, 451 – Brevv. omnia, excepto Ambr.

IN FESTIS PRAECIPUORUM SANCTORUM

26 dec.

S. Stephani - *O. lect.* **219**

LAUDES SANCTI ET ORATIO

Festum celébre martyris
dignum colamus Stephani,
qui primus in certamine
palma nitet victoriae [1].

5 Martyr fidelis comminus
falsis renitens testibus,
Iesu videbat gloriam,
stantis Patris ad dexteram.

9 Assecla Christi providus,
fuso cruore saucius,
corpus neci dum tradidit,
flatum polo mox intulit.

13 Nunc te precamur, inclite,
succurre, martyr, concite;
nobis rogatus impetra,
cael*i* ut patescat regia.

17 Lotus cruoris flumine,
splendescis alto lumine;
nostri memor nunc supplica,
tecum fruamur gloria.

21 Praestet favens haec munera [2]
natus Puer de Virgine,
cum Patr*e* et almo Spiritu
regnans per omne saeculum [3].

A. ignotus – Saec. XIII (?) – Metr.

AH, LII, 296.

[1] Sequitur str.: *Sancto repletus Flamine, / signis potens et dogmate, / plebem refellit improbam, / venisse prodit Messiam;* quam om. praesertim ob illud intolerabile *Méssiam:* sic enim legi debet in hoc h. metrico.

[2] *hoc munere* AH: quod non bene intellegitur.

[3] *qui vita degens cum Patre / regnat simul cum Pneumate* AH; quos vv. abstul., tum propter *vita* (seu melius *vitam*) mendosum contra metrum, et idcirco fortasse interpolatum, tum propter durum rhythmum, tum denique propter absonum graecismum *Pneumate*; subst. vv. communiores.

Laus eius et oratio

Christus est vita veniens in orbem [1],
qui ferens vulnus removensque mortem [2],
ad Patris dextram repetendo, regnat
sede superna.

Hunc sequens primus Stephanus minister
sortis illatae titul*o* est [3] decorus,
quam dedit spirans Domini benignus
Spiritus illi.

Saxeo nimbo lapidatus instat [4];
sustinet mortis rabiem profanam;
hostibus quaerit veniam misertus
pectore grato.

Quaesumus flentes, benedicte prime
martyr et civis sociate iustis,
caelitus, clarae regionis heres,
mitte favores [5].

Gloriae laudes Triadi beatae
martyrum laeti comites canamus,
quae dedit primas Stephan*o* ex agone
ferre coronas [6].

A. ignotus – Saltem saec. IX – Metr.

Sunt str. 2, 3, 7, 9.

Chev. 3219; Szöv. I, 424 – PL, LXXXVI, 124; Morel, 308; AH, XIV, 27; XXVII, 243.

[1] Reliquos vv. 1ae str., ceterum non perspicuos, om. ad brev.

[2] *Sustulit vulnus removendo mortem* orig.; quem v. mut. et sequentem *mortis auctorem perimendo surgit* om., ut 1a et 2a str. in unam redigerentur.

[3] Add. *est*, ut constructio rectius procederet.

[4] Est 1us v. str. 6ae omissae, ubi recte, iuxta cdd., *instat* refertur ad Steph.; in PL. coniungitur cum *Paulus* str. seq.; e 7a vero om. 2um v. *plenus est omni pietate cordis*, qui debilis est.

[5] *inclite pollens*, orig.; quem v., fere superfluum, mut. ut iam oratio consisteret neque opus esset alia str.

[6] Doxol. genericae hanc propriam subst.

LAUDES IPSIUS

Novum cantate Stephano
hymnum, coronae martyrum [1],
qui dulcis sit psallentibus,
opem ferat credentibus.

5 Hic primus almo sanguine
Christi secutus gloriam,
viam salutis ceteris
amore mortis praebuit.

9 Hic enim per apostolos
probatus [2] in laudem Dei,
vexilla mortis rapuit
ut praeferretur omnibus.

13 O praeferenda gloria,
o beata victoria:
hoc meruisse Stephanum
ut sequeretur Dominum.

17 Ille levatis oculis
vidit Patrem cum Filio,
monstrans in caelis vivere
quem plebs gaudebat perdere [3].

21 Patri [4], Nato, Paraclito
decus, honor et gloria;
tanti victoris [5] merito
vera sint nobis gaudia.

A. ignotus – Aetate incerta – Rhythm.

Fortasse forma orig. erat metrica; sed variis mutationibus h. subiectus est, quarum processum difficile est investigare. Hic sequimur edit. AH, quae, quamvis lectiones saepe praebeat non metricas, textum tamen prodit rectum et fini liturgico aptum; quaedam vero lect. variae notabuntur.

Chev. 19487; Jul. 1092 – Mone, III, 504; Thes. I, 90; IV, 89; 354; PL, XVII, 1208; AH, XIV, 28 – Brev. Ambr., ubi tamen integre refectum est.

[1] *Stephano, coronae martyrum, / cantate canticum novum* Mone; quae lect. videtur orig., metrice redacta, ubi invitantur *coronae* (innuitur sensus nominis *Stephani*) *martyrum* ad laudem eorum ducis; cum vero syllabae sint superabundantes, advenerunt mutationes variae, inter quas Thes., AH habent: *Stephano primo martyri / cantemus canticum novum.* Ad auferendum excessum syllabarum in priore v., ita paulum invert.

[2] *probatur* AH.

[3] Tres seq. str. om., tum ad brev., tum quia sunt mere narrativae.

[4] Cum h. doxol. propria careat, hanc sumps. ex alio: *Psallat chorus fidelium* (AH, IV, 240).

[5] *protovictoris* orig.; quod vocab. videtur insolitum; ideo subst.

Laudes ipsius

Fidelis plebs cum angelis
festivis plaudant[1] gaudiis:
nativitati Domini
occurrit laus apostoli.

Dilectus hic prae ceteris
apud magistrum tenuit
ob virginale meritum
amoris privilegium.

Hausit ex Christi pectore
fluenta sapientiae;
hinc arva cordis irrigat
et Verbum Patris intonat.

Huic et[2] in cruce positus
matrem commendat Dominus;
fit mater Virgo virgini,
quem fovet vice Filii.

Te pronis, alme, cordibus,
caeli senator, poscimus:
da Verbi vultum cernere,
quos Verbum doces credere.

Sit Patri laus ingenito,
sit decus Unigenito,
sit utriusque parili
maiestas summa Flamini.

S. Petrus Damiani – Rhythm.

Chev. 6302; Szöv. I, 426 – PL, CXLV, 943; AH, XLVIII, 46; Lokr. 131.

[1] Ita Lokr.; cett. *plaudat.*

[2] Ita Lokr., metrice rectius; sed pro cantu fortasse melius omitteretur *et,* atque *huic* computaretur ut bisyll.

LAUDES IPSIUS

Magna Ioannis merita
sancta promat ecclesia,
quam tenebris evacuat,
vitae verbis irradiat.

5 Huius cor in sublimibus
Sanctus suspendit Spiritus,
ut profunde latentia
cernat alta mysteria.

9 En illa felix aquila
ad escam volat avida,
quae caeli cives vegetat
et nos in via recreat.

13 Hic in choro tot millium
primatum tenet virginum;
fit Agno sic pedissequus
ut matri individuus.

17 Iesu, tibi (XI).

S. Petrus Damiani – Rhythm.

Chev. 10925; Szöv. I, 429 – Thes. I, 225; PL, CXLV, 944; AH, XLVIII, 47; Lokr. 132.

224

Ad ipsum

Virginis virgo venerande custos,
praeco qui Verbi coleris fidelis [1],
dele [2] servorum facinus tuorum,
sancte Ioannes.

5 Fonte [3] prorumpens fluvius perenni
curris, arentis satiator orbis;
hausit ex pleno, modo quod propinat,
pectore pectus.

9 Tu decus mundi iubar atque caeli,
impetra nostris veniam ruinis;
da sacramentum penetrare summum
quod docuisti.

13 Patris arcanum speculando Verbum
tollis errorem fidei per orbem;
nos ad aeternam speciem fruendam,
dux bone, transfer.

17 Sit [4] decus summo sine fine Christo,
Virgo quem sancta genuit Maria,
qui Patri compar Flaminique Sancto
regnat in aevum.

S. Petrus Damiani – Metr.

Chev. 21719; Szöv. I, 394 – PL, CXLV, 943; AH, XLVIII, 45; Lokr. 130 – Brev. Carm.

[1] *magnus aeterni logotheta Verbi* orig.; quod mut. propter graecismum *logotheta* nunc insuetum, et transitum appositionis a vocativo ad nominativum.

[2] Ita orig., cum levi licentia metr. *delē*; posset substitui *terge, tolle,* etc.

[3] Ad brev. om. 2^{am} str.

[4] Doxol. est eiusdem a., sumpta ex h. *Gaudium mundi,* cum aptior sit tempori Nativ. Dni; parcendum mendo *Flāminique.*

REVOCATUR HISTORIA

Audit tyrannus anxius
adesse regum principem,
qui nomen Israel regat
*tene*atque David regiam[1].

5 Exclamat amens nuntio:
« Successor instat, pellimur;
satelles, i, ferrum rape,
perfunde cunas sanguine! »

9 Quo proficit tantum nefas?
Quid crimen Herodem iuvat?
Unus tot inter funera
impune Christus tollitur.

13 Iesu, tibi (XI).

Prudentius – *Metr.*

Cathem., XII, 93-100; 133-36.

Chev. 1510; Szöv. I, 86; II, 450 – Thes. IV, 121; PL, LIX, 907; Berg. 72; Pell. 182; AH, L, 27, sed vv. modo satis diverso dispositis iuxta antiqua Breviaria; Cunn. 68 – Brevv.: Ben., Carm., Cist., Pm., Praed., Vat.

[1] *teneatque* est metrice legitimum, sed addit v. unam syll.: quod cantui nocet. Posset mutari: *thronumque David occupet.*

LAUDES EORUM

Hymnum canentes martyrum
dicamus Innocentium,
quos terra deflens[1] perdidit,
gaudens sed aethra suscipit;

5 Quos rex peremit impius,
pius sed auctor colligit,
secum beatos collocans
in luce regni perpetis.

9 Praeclara Christo splenduit
mors innocens fidelium;
caelis ferebant angeli
bimos et infra parvulos.

13 O quam beata civitas,
in qua Redemptor nascitur,
natoque primae martyrum
in qua dicantur hostiae.

17 Astant nitentes fulgidis
eius throno nunc vestibus,
stolas suas qui laverant
Agni rubentes sanguine.

21 Iesu, tibi (XI).

S. Beda Ven. – Metr.

Selegimus tantum str. 1, 3, 6, 13, 15; cett. om. ad brev.

Chev. 8246; Jul. 554; Szöv. I, 427 – PL, XCIV, 623; AH, L, 102; Fraip. 412.

[1] *flentes* edd.; quod videtur mendosum, propter symmetriam cum seq. *gaudens aethra.*

AD IPSOS

Salvete, flores martyrum,
quos lucis ips*o* in limine
Christ*i* insecutor sustulit
ceu turbo nascentes rosas.

5 Vos prima Christi victima,
grex immolatorum tener,
aram sub ipsam [1] simplices
palm*a* et coronis luditis.

9 Iesu, tibi (XI).

Prudentius – Metr.

Cathem., XII, 125-32.

Chev. 18344; Szöv. I, 432; II, 453 – Thes. I, 124; IV, 121; PL, LIX, 908; Berg. 73; Pell. 186; AH, L, 27; Cunn. 69 – Brevv.: Ben., Carm., Cist., Pm., Praed., Vat.

[1] Ita Brev. Rom., Thes.; quae lect. optime mutat orig. *aram ante ipsam*, quae exigeret foedam elisionem *aram ante* et hiatum *ante ipsam*.

Ad ipsum

Te, Ioseph, celebrent agmina caelitum,
te cuncti resonent christiadum chori,
qui, clarus meritis, iunctus es inclitae
casto foedere Virgini.

5 Almo cum tumidam germine coniugem
admirans, dubio tangeris anxius,
afflatu superi Flaminis Angelus
conceptum puerum docet.

9 Tu natum Dominum stringis, ad exteras
Aegypti profugum tu sequeris plagas;
amissum Solymis quaeris et invenis,
miscens gaudia fletibus.

13 Electos reliquos mors [1] pia consecrat,
palmamque emeritos gloria suscipit;
tu vivens, superis par, frueris Deo,
mira sorte beatior.

17 Nobis, summa Trias, parce precantibus;
da Ioseph meritis sidera scandere,
ut tandem liceat nos tibi perpetim
gratum promere canticum.

Ioannes (Escallar) a Conceptione († 1700), O. Carmel. – *Metr.*

Chev. 20120; Szöv. II, 483 – Thes. IV, 296 – Brevv.: Ben., Carm., Pm., Praed., Vat.

[1] *Post mortem reliquos mors* Thes., Carm., Pm., Vat.; quae lectio orig. dici debet (cf. A. Wilmart, Auteurs spirituels et textes dévots du moyen âge, Paris 1932, p. 559); ceterum sensu ipso exigitur, nam *reliqui* consecrantur post mortem solum propter *mortem piam.* Sed cum sit ibi aliquis lusus verborum, saeculo illi acceptus, nunc autem invisus, in Antiph. Romano substitutum est *sors*: quae non clare intellegitur quid sit, neque explicat qui sint *reliqui* consecratione digni. Ad eliminandas omnes difficultates, subst. *electos,* quia *mors* ipsa consecratrix implicite affirmat consecrationem fieri in aevum quod *post mortem* decurret. Wilmart suggesserat *mortales,* quod videtur nimis genericum. Poterat etiam mutari ita: *Iustos si reliquos mors pia consecrat / palmamque ... suscipit, / tu vivens ...,* verborum comprehensione magis astricta.

LAUDES IPSIUS

Iste, quem laeti colimus, fideles,
cuius excelsos canimus triumphos,
hac die Ioseph meruit perennis
gaudia vitae.

5 O nimis felix, nimis o beatus,
cuius extremam vigiles ad horam
Christus et Virgo simul astiterunt
ore sereno.

9 Iustus insignis [1], laqueo solutus
carnis, ad sedes placido sopore
migrat aeternas, rutilisque cingit
tempora sertis.

13 Ergo regnantem flagitemus omnes,
adsit ut nobis, veniamque nostris
obtinens culpis, tribuat supernae
munera pacis.

17 Sint tibi plausus, tibi sint honores,
trine qui regnas Deus, et coronas
aureas servo tribuis fideli
omne per aevum.

Ioannes (Escallar) a Conceptione – Metr.

Chev. 9155; Szöv. II, 451 – Thes. IV, 297 – Brevv.: Ben., Carm., Pm., Praed., Vat.

[1] *Hinc stygis victor* orig.; expellendum *stygis*, quod sapit mythologiam; sed nec clare patet quo sensu s. Ios. dicatur *victor stygis;* unde in h. *Noctis e caelo* (Chev. 12045, saec. XVI), adhibito in Brev. Cist., habetur melius: *Mortis ut victor* (scil. Christus) *superavit orcum / scandit hic* (scil. Ioseph) *vitam simul ad beatam;* ideo in h. nostro subst. *Iustus insignis* (cf. Mt. I, 19). Aut fortasse sumenda est str. h. Cisterciensis, vitando pravum orcum: *Mortis ut victor repetivit astra / scandit hic vitam simul ad beatam, / summa pro magnis meritis adeptus / praemia palmae.*

Ad ipsum

Caelitum, Ioseph, decus atque nostrae
certa spes vitae columenque mundi,
quas tibi laeti canimus, benignus
suscipe laudes.

Te, satum David, statuit Creator [1]
Virginis sponsum, voluitque Verbi
te patrem dici, dedit et ministrum
esse salutis.

Tu Redemptorem stabulo iacentem,
quem chorus vatum cecinit futurum,
aspicis gaudens, sociusque matris
primus adoras [2].

Rex Deus regum, dominator orbis,
cuius ad nutum tremit inferorum
turba, cui pronus famulatur aether,
se tibi subdit.

Laus sit excelsae Triadi perennis,
quae tibi praebens superos honores,
det tuis nobis meritis beatae
gaudia vitae [3].

Ioannes (Escallar) a Conceptione – Metr.

Chev. 3535; Jul. 241; Szöv. II, 450 – Thes. IV, 296 – Brevv.: Ben., Carm., Pm., Praed., Vat.

[1] *Te sator rerum statuit pudicae* orig.; sed congruum videtur aliquo loco memorare s. Ioseph fuisse de familia David, cum per ipsum etiam Christus dici potuerit filius David.

[2] *humilisque natum / Numen adoras* orig.; quod mut. ad auferendum *Numen* et substituendam sententiam magis propriam pro s. Ios.

[3] Advertatur doxol. rite ad ipsum s. Ioseph directa ut ceterae str.: quod multum confert organicitati compositionis.

Ad ipsum

Te, pater Ioseph, opifex colende,
Nazarae felix latitans in umbra,
vocibus laetis humilique cuncti
corde canemus [1].

5 Regiam stirpem tenuemque victum
mente fers aequa tacitusque portas,
sacra dum multo manuum labore
pignora nutris.

9 O faber, sanctum speculum fabrorum,
quanta das plebi documenta vitae,
ut labor sudans, ut et officina
sanctificetur.

13 Qui carent escis, miseros foveto;
tempera effrenos perimasque lites;
mysticus Christus patriae sub umbrae
tegmine crescat.

17 Qui Deus trinus simul unus exstas [2],
qui pater cunctis opifexque rerum,
fac patrem Ioseph imitemur actu,
morte imitemur.

E. D'Anversa (vivens) – *Metr.*

[1] *vocibus magnis animisque plenis / nocte canemus* orig.; mutav. consentiente ipso auctore, cum h. dici possit etiam horis diurnis.

[2] *Tu Deus trinus pariterque et unus* orig.; mut. ipso a. optante.

I mai.

S. Ioseph Opificis - *Ld.* 232

(*Vp.* Te Ioseph, *n.* 228)

Ad ipsum

Aurora, solis nuntia
florumque mensi praevia,
fabri sonoram malleo
domum salutat Nazarae.

5 Salve, caput domesticum,
sub quo supernus Artifex,
sudore salso roridus,
exercet artem patriam.

9 Altis locatus sedibus
celsaeque Sponsae proximus,
adesto nunc clientibus
quos vexat indigentia.

13 Absintque vis et iurgia,
fraus omnis a mercedibus,
victus cibique copiam
mensuret una parcitas.

17 Sit Trinitati gloria,
quae, te precante, iugiter
in pace nostros omnium
gressus viamque dirigat [1].

E. D'Anversa – Metr.

[1] *O Trinitatis Unitas, / Ioseph precante, quaesumus, / in pace... / gressus viamque dirige* orig.; quod paululum mut., tum ut clarius eniteret indoles doxologica, tum ut sermo pergeret in sanctum Ioseph.

Ad ipsum

Ut queant laxis resonare fibris
mira gestorum famuli tuorum,
solve polluti labii reatum,
sancte Ioannes.

5 Nuntius caelo veniens ab alto [1],
te patri magnum fore nasciturum,
nomen et vitae seriem gerendae
ordine promit.

9 Ille promissi dubius superni
perdidit promptae modulos loquelae;
sed reformasti genitus peremptae
organa vocis.

13 Ventris obstruso positus [2] cubili
senseras regem thalamo manentem;
hinc parens nati meritis uterque
abdita pandit.

17 Laudibus [3] cives celebrant [4] superni
te, Deus simplex pariterque trine;
supplices ac [5] nos veniam precamur:
parce redemptis.

Paulus Diaconus (?) – *Metr.*

Chev. 21039; Jul. 1202; Szöv. I, 434; II, 454 – Thes. I, 209; PL, XCV, 1597; Duemmler, I, 83; AH, L, 120 – Brevv.: Ben., Carm., Cist., Pm., Praed., Vat.

[1] *Nuntius celso veniens Olympo* orig.; ita mut. ad expungendum *Olympo*.

[2] Ita Thes., AH, Praed. iuxta plurimos cdd.; *recubans* cett. Brevv. cum perpaucis mss., quod etiam cacophonicum est cum seq. *cubili*.

[3] Haec videtur doxol. ipsius a., adhibenda hic et ad Off. lect. sicut est ad Laudes, cum unicum sit carmen in tres partes divisum; quod recte peragunt Carm., Pm., Praed.

[4] Ita Thes., AH, Pm.; *celebrent* cett.

[5] Ita AH, Vat.; *et* cett.

24 iun.

Nativ. S. Ioannis B. - *O. lect.* **234**

AD IPSUM

Antra deserti teneris sub annis,
civium turmas fugiens, petisti,
ne levi saltem maculare vitam
famine posses.

5 Praebuit hirtum tegimen[1] camelus
artubus sacris, strophium bidentes,
cui latex haustum, sociata pastum
mella locustis.

9 Ceteri tantum cecinere vatum
corde praesago iubar affuturum;
tu quidem mundi scelus auferentem
indice prodis.

13 Non fuit vasti spatium per orbis
sanctior quisquam genitus Ioanne,
qui nefas saecli meruit lavantem
tingere lymphis.

17 Laudibus cives (*ut n.* 233).

Est 2ª pars h. *Ut queant laxis.*

[1] Ita Thes., AH, Vat.; cett. Brevv. *tegumen.*

24 iun.

Nativ. S. Ioannis B. - *Ld.* **235**

AD IPSUM

O nimis felix meritique celsi,
nesciens labem nivei pudoris,
praepotens martyr eremique cultor,
maxime vatum.

5 Serta ter denis alios coronant
aucta crementis, duplicata quosdam;
trina centeno cumulata fructu
te, sacer, ornant.

9 Nunc potens nostri meritis opimis
pectoris duros lapides repelle,
asperum planans iter, et reflexos
dirige calles:

13 Ut pius mundi sator et redemptor,
mentibus pulsa livione[1] puris,
rite dignetur veniens sacratos
ponere gressus.

17 Laudibus cives (*ut n.* 233).

Est 3ª pars h. *Ut queant laxis.*

[1] *pulsa luvione* Carm.; *culpae sine labe* Cist. ut Rom.; ad auferendum *livione* nimis obsoletum, posset mutari: *mentibus pulsa macula politis.*

Passion. S. Ioannis B. - *O. lect. et Vp.* **236**

(*Ld.* - O nimis felix, *n.* 235)

LAUDES SANCTI

Praecessor almus gratiae
et veritatis angelus,
lucerna Christ*i* et perpetis
evangelista luminis,

5 Prophetiae praeconia,
quae voce, vit*a* et actibus
cantaverat, haec astruit
mortis sacrae signaculo.

9 Nam nasciturum saeculis,
nascendo quem praevenerat,
ac baptizaturum suo
monstraverat baptismate,

13 Huiusce mort*em* innoxiam [1],
qua vita mundo reddit*a* est,
signat sui praesagio
baptista martyr sanguinis.

17 Praesta, Pater piissime,
sequi Ioannis semitas [2],
metamus ut [3] plenissime
aeterna Christi munera [4].

Tribuitur s. Bedae Ven. – Metr.

Sunt primae quattuor str.; cett. om.; doxol. sumpsimus ex h. *Vox clara* de eodem sancto (AH, XXX, 154), ignoti a.

Chev. 15226; Szöv. I, 431 – PL, XCIV, 630; AH, L, 109; Fraip. 431.

[1] Elisio syll. *-em* aspera est; fortasse vocabulo *innoxiam* aliud substituendum.

[2] *opera* edd., quod mut. propter metrum, cum carmen Bedae sit metricum; *semitas* subst. ex alio h. *Rerum Deus* (AH, XXX, 154).

[3] *ut metamus* edd.; invert. propter metrum.

[4] Hoc v. incipit h. n. 162.

LAUDES IPSORUM

Aurea luce et decore roseo,
lux lucis, omne perfudisti saeculum,
décorans caelos inclito martyrio
hac sacra die, quae dat reis veniam.

Ianitor caeli, doctor orbis pariter,
iudices saecli, vera mundi lumina,
per crucem alter, alter ense triumphans [1],
vitae senatum laureati possident.

O Roma felix, quae tantorum principum
es purpurata pretioso sanguine,
non laude tua, sed ipsorum meritis
excellis omnem mundi pulchritudinem.

Olivae binae pietatis unicae,
fide devotos, spe robustos maxime,
fonte repletos caritatis geminae
post mortem carnis impetrate vivere.

Sit Trinitati (VI).

Perperam dicebatur auctrix Elpis (seu Helpe) saec. VI; rectius tribuendus est *a. ignoto aevi Carolini* (cf. SZÖVÉRFFY, A mirror of medieval culture, New Haven 1965, p. 130) – *Rhythm.*

In Brev. Rom. « plus iusto, nisi fallor, correctus est » (Thes., l. c.).

Om. str. 3am (*Iam bone*) et 4am (*Doctor egregie*), respective adhibendas pro Cath. S. Petri (n. 244) et Convers. S. Pauli (n. 243). Str. *O Roma*, ut mos geratur traditionis usui, inserta est ex h. *Felix per omnes* (n. 239), aptatione fidelius peracta.

Chev. 1596; Jul. 93; Szöv. I, 423; II, 450 (*Decora lux*) – Thes. I, 156; PL, CXII, 1660; AH, LI, 216 – Brevv.: Ben., Carm., Cist., Pm., Praed., Vat.

[1] Paenultima longa nocet rhythmo; an substituendum aliud vocab., puta *praevalens*?

Laudes ipsorum

Apostolorum passio
diem sacravit saeculi,
Petri triumphum nobilem,
Pauli coronam praeferens.

Coniunxit aequales viros
cruor triumphalis necis;
Deum secutos praesulem
Christi coronavit fides.

Primus Petrus apostolus;
nec Paulus impar gratia,
electionis vas sacrae
Petri adaequavit fidem.

Verso crucis vestigio
Simon, honorem dans Deo,
suspensus ascendit, dati
non immemor oraculi [1].

Hinc Roma celsum verticem
devotionis extulit,
fundata tali sanguine
et vate tanto nobilis [2].

Huc ire [3] quis mundum putet,
concurrere plebem poli:
electa gentium caput,
sedes magistri gentium.

Horum, Redemptor, quaesumus
ut principum consortio
iungas precantes servulos
in sempiterna saecula [4].

S. Ambrosius – Metr.

Chev. 1231; Szöv. I, 422 – Thes. I, 101; PL, XVII, 1215; Bir. 86; AH, L, 17; Bulst, 50; Sim. 64 – Brev. Ambr.

[1] Om. seq. str.: *Praecinctus, ut dictum est, senex / et elevatus ab altero, / quo nollet, ivit, sed volens / mortem subegit asperam*, tum brev. gratia, tum quia in ipsa refertur, iisdem fere verbis, quod « dictum est » Petro a Domino, tum denique propter duritiem vv., praesertim 1-2 una etiam syll. redundantium.

[2] Hic iterum om. stropham quae maximi quidem momenti est in rebus historicis inquirendis, sed nunc extra Urbis fines in liturgia difficultatem praebet: *Tantae per urbis ambitum / stipata tendunt agmina, / trinis celebratur viis / festum sacrorum martyrum.*

[3] *Prodire* orig., quod leviter mut. propter omissam praec. str.

[4] H., qui auctoris doxol. caret, hanc accommodav. ex alio h. eiusdem Ambrosii de Martyr. *Aeterna Christi* (n. 162), scil. *Te nunc Redemptor, quaesumus / ut Martyrum consortio / iungas* etc. Nec potuimus accipere lect. Brevv. quae sic mutaverunt: *Te nunc, Redemptor, quaesumus / ut ipsorum consortio* etc. cum mendo metri in hoc h. metrico.

29 iun.

SS. Petri et Pauli - *Ld.* **239**

LAUDES SANCTORUM

Felix per omnes festum mundi cardines
apostolorum praepollet alacriter,
Petri beati, Pauli sacratissimi,
quos Christus almo consecravit sanguine,
ecclesiarum deputavit principes.

Hi sunt olivae duae coram Domino
et candelabra luce redundantia,
praeclara caeli duo luminaria;
fortia solvunt peccatorum vincula
portasque caeli[1] reserant fidelibus.

Gloria Patri[2] (VII).

Paulinus II Aquileiensis († 802), ut videtur; certe *aevi Carolini* (cf. SZÖVÉRFFY, A mirror... cit., p. 129) – *Rhythm.*

Sunt str. 1^a et 2^a cum doxol.; 7^a et 8^a adhibentur ad II Vesperas; 4^a et 5^a in festo Cathedrae S. Petri (n. 246).

Chev. 6060; Szöv. I, 426 – Thes. I, 243; PL, XCIX, 484; CLI, 961; Duemmler, I, 136; AH, L, 141.

[1] *portas Olympi* a.; quod mut. ad auferendum mythol. *Olympi.*
[2] *Deo* edd.; *Patri* Brevv., quod certe melius distinguit a cett. Personis.

LAUDES ROMAE ET ORATIO AD SANCTOS

O Roma felix, quae tantorum[1] principum
es purpurata pretioso sanguine!
Excellis omnem mundi pulchritudinem
non laude tua, sed sanctorum meritis,
quos cruentatis iugulasti gladiis.

Vos ergo modo, gloriosi martyres,
Petre beate, Paule, mundi lilium,
caelestis aulae triumphales milites,
precibus almis vestris nos ab omnibus
munite malis, ferte super aethera.

Gloria Patri (VII).

Sunt str. 7ª et 8ª h. *Felix per omnes*: cf. ad Laudes.

[1] *tuorum* Thes.

Ad ipsum

Pressi malorum pondere
te, Paul*e*, adimus supplices,
qui certa largus desuper
dabis salutis pignora [1].

5 Nam tu beato concitus
divin*i* amoris impetu,
quos insecutor oderas
defensor ind*e* amplecteris.

9 Amoris, eia, pristini
ne sis, precamur, immemor,
et nos supernae languidos
in spem reducas gratiae.

13 Te deprecante floreat
ignara damni caritas,
quam nulla turbent iurgia
nec ullus error sauciet.

17 O grata caelo victima,
doctorqu*e* amorque Gentium,
o Paule, nos te vindicem,
nos te patronum poscimus.

21 Tu nos, beata Trinitas,
perfunde sancto robore,
possimus ut feliciter
exempla Pauli subsequi.

A. ignotus – *Saltem a.* 1795 (Chev.) – *Metr.*

H. hic quotidie adhuc cantatur ad Apostoli sepulcrum; om. ad brev. str. 3, 5, 7-8.

Chev. 15415.

[1] *Pressi... / adite Paulum supplices / qui certa... / dabit salutis pignora* ed.; non autem videtur congruum post hanc str. invitationis in 2ª plurali, sermonem statim prosequi in Paulum; ad maiorem cohaesionem paululum mut.

25 ian.

Convers. S. Pauli - *Ld.* **242**

AD IPSUM

Paule, doctor egregie,
tuba clangens ecclesiae,
nubs volans ac tonitruum [1]
per amplum mundi circulum,

5 Nobis potenter intona
ruraque cordis irriga,
caelestis imbre gratiae
mentes virescant aridae.

9 O magnum Pauli meritum!
Caelum conscendit tertium,
audit verba mysterii
quae nullis audet eloqui.

13 Dum verbi spargit semina,
seges surgit uberrima;
sic caeli replent horreum
bonorum fruges operum.

17 Micantis more lampadis
perfundit orbem radiis;
fugat errorum tenebras,
ut sola regnet veritas.

21 Tu nos (*ut n.* 241).

S. Petrus Damiani – Rhythm.

Chev. 14741; Jul. 887; Szöv. I, 431. – Thes. I, 225; PL, CXLV, 942; AH, XLVIII, 47; Guéranger, Ann. lit., Pent. III, 458; Lokr. 103.

[1] *nubes volans ad tonitrum* AH.

25 ian.

Convers. S. Pauli - *Vp.* **243**

AD IPSUM

Doctor egregie, Paule, mores instrue
et mente polum nos transferre satage,
donec perfectum largiatur plenius,
evacuato quod ex parte gerimus.

5 Sit Trinitati (VI).

A. ignotus – Aevo Carolino – Rhythm.

Est 4ª str., cum doxol., h. *Aurea luce*, de quo cf. die 29 iunii (n. 237).

Chev. 4791; Szöv. I, 423; II, 450 (*Egregie doctor*) – Brevv.: Ben., Carm., Cist., Pm., Praed., Vat.

22 febr.

Cathedrae S. Petri - *O. lect.* 244

Ad Sanctum

Iam bone pastor, Petre, clemens accipe
vota precantum, et peccati vincula
resolve, tibi potestate tradita
qua cunctis caelum verbo claudis, aperis.

5 Sit Trinitati (vi).

A. ignotus – Aevo Carolino – Rhythm.

Est 3ª str., cum doxol., h. *Aurea luce*, de quo cf. 29 iun. (n. 237).

Chev. 9196; Szöv. I, 423; II, 450 (*Beate pastor*) – Brevv.: Ben., Carm., Cist., Pm., Praed., Vat.

22 febr.

Cathedrae S. Petri - *Ld.* 245

Ad Sanctum

Senatus apostolici
princeps et praeco Domini,
pastor prime fidelium,
custodi gregem creditum.

5 Per pascua virentia
nos verbi fruge recrea,
refectas oves praevius
caulis infer caelestibus.

9 Supernae claves ianuae
tibi, Petre, sunt traditae,
tuisque patent legibus
terrena cum caelestibus.

13 Tu petram verae fidei,
tu basim aedificii
fundas, in qua catholica
fixa surgit ecclesia [1].

17 Aeterna Christo gloria,
qui nobis per te tribuat
caelorum pandi ianuam
in sempiterna gaudia [2].

S. Petrus Damiani – Rhythm.

Chev. 18799; Szöv. I, 433 – PL, CXLV, 941; AH, XLVIII, 47; Lokr. 102.

[1] Om. cett. duas str., quae parum festo conveniunt.

[2] Doxol. genericae hanc subst., ad maiorem cohaesionem conceptus et formae cum toto h.

LAUDES SANCTI

Petrus beatus catenarum laqueos
Christo iubente rupit mirabiliter:
custos ovilis et doctor Ecclesiae,
pastorque gregis, conservator ovium
5 arcet luporum truculentam rabiem.

Quodcumque vinclis super terram strinxerit,
erit in astris religatum fortiter,
et quod resolvit in terris arbitrio,
9 erit solutum super caeli radium;
in fine mundi iudex erit saeculi.

Gloria Patri (VII).

Paulinus II Aquileiensis – vel certe *aevo Carolino* – *Rhythm.*

Sunt str. 4ª et 5ª h. *Felix per omnes:* cf. die 29 iun. (n. 239). Prior adhibebatur olim in festo S. Petri ad Vincula; optime autem convenit etiam festo Cathedrae. Vv. alterius str. aptati sunt in Brevv. ad 2ᵃᵐ personam: *strinxeris, resolvis, eris.*

Chev. 14885; 16918; Szöv. II, 452 (*Quodcumque in orbe*).

29 sept.

SS. Michaelis et Angelorum - *Vp.* **247**

Ad Christum

Tibi, Christe, splendor Patris,
vita, virtus cordium,
in conspectu angelorum
votis, voce psallimus;
alternantes concrepando
melos damus vocibus.

Collaudamus venerantes
omnes caeli milites,
sed praecipue primatem
caelestis exercitus,
Michaelem in virtute
conterentem Satanam [1].

Quo custode procul pelle,
rex Christe piissime,
omne nefas inimici;
mundos [2] corde et corpore
paradiso redde tuo
nos sola clementia.

Gloriam Patri melodis
personemus vocibus,
gloriam Christo canamus,
gloriam Paraclito,
qui Deus trinus et unus [3]
exstat ante saecula.

Perperam ascriptus Rabano Mauro; *incerti a. – Saltem saec. X – Rhythm.*

Ex integro mutatus in recognitione Urbaniana, ipsa structura metrica trochaica sex vv. in iambicam quattuor vv. translata.

Chev. 20455; Jul. 1176; Szöv. I, 434, II, 453 (*Te splendor et virtus Patris*) – Mone, I, 440; Thes. I, 220; PL, CXII, 1659; AH, L, 207 – Brevv.: Ben., Carm., Cist., Pm., Praed., Vat.

[1] *zabulon* Thes.; *zabulum* (i. e. *diabolum*) orig., quod vocab. hodie non placet; unde subst.
[2] Ita AH; *mundo* Mone, Thes., Brevv.
[3] Ita AH; Brevv. omnia *trinus et unus Deus.*

Laudes Angelorum Custodum et oratio

Custodes hominum psallimus angelos,
naturae fragili quos Pater addidit
caelestis comites, insidiantibus
ne succumberet hostibus.

5 Nam quod corruerit proditor angelus,
concessis merito pulsus honoribus,
ardens invidia pellere nititur
quos caelo Deus advocat.

9 Huc, custos, igitur pervigil advola,
avertens patria de tibi credita
tam morbos animi quam requiescere
quicquid non sinit incolas.

13 Sanctae sit Triadi laus pia iugiter,
cuius perpetuo numine machina
triplex haec regitur, cuius in omnia
regnat gloria saecula.

Tribuebatur S. Roberto Bellarmino; *a. ignotus – Saec. XVI – Metr.*

Chev. 4163; Jul. 274; Szöv. II, 450 – Thes. II, 375 – Brevv.: Ben., Carm., Cist., Pm., Praed., Vat.

29 sept.

SS. Michaelis et Angelorum - *Ld.* **249**

Ad Christum

Christe, sanctorum decus angelorum,
rector humani generis et auctor,
nobis aeternum tribue benignus
scandere caelum.

Angelum pacis Michael ad istam
caelitus mitti rogitamus aulam,
nobis ut crebro veniente crescant
prospera cuncta.

Angelus fortis Gabriel, ut hostem
pellat antiquum, volitet ab alto,
saepius templum veniens ad istud
visere nostrum [1].

Angelum nobis medicum salutis
mitte de caelis Raphael, ut omnes
sanet aegrotos pariterque nostros
dirigat actus.

Hinc tu*a* indulgens genetrix Maria,
totus et nobis chorus angelorum
sancti et assistant, referamus omnes
ut tibi laudes [2].

A. ignotus – Saltem saec. X – Metr.

Chev. 3000; Jul. 220; Szöv. I, 424; II, 450 – Thes. I, 218; PL, CXII, 1659; AH, L, 197 – Brevv.: Ben., Carm., Cist., Pm., Praed., Vat.

[1] Adv. usum verbi *visere* cum *ad*, ut apud Terent. (Hec. I, 2, 113) *it visere ad eam;* Lucret. (De rer. n., VI, 1236) *suos fugitabant visere ad aegros;* etc.

[2] *Hinc Dei nostri genetrix Maria / totus ... / semper assistat simul et beata / contio tota* orig.; sequitur doxol. generica *Praestet hoc nobis Deitas beata* etc. Ad brev. redegimus hanc str. in doxologiam.

Ad Christum et Sanctos

Christe, redemptor omnium,
conserva tuos famulos,
beatae semper Virginis
placatus sanctis precibus.

5 Beata quoque agmina
caelestium spirituum,
praeterita, praesentia,
futura mala pellite.

9 Vates aeterni iudicis
apostolique Domini,
suppliciter exposcimus
salvari vestris precibus.

13 Martyres Dei incliti
confessoresque lucidi,
vestris orationibus
nos ferte in caelestibus.

17 Chori sanctarum virginum
monachorumque omnium,
simul cum sanctis omnibus
consortes Christi facite.

21 Litis auferte fomites
credentium de finibus,
ut Christi pace candida
fruamur omnes perpetim [1].

25 Sit Trinitati gloria,
vestrasque voces iungite
ut illi laudes debitas
persolvamus alacriter [2].

A. ignotus – Saltem saec. IX – Rhythm.

H. in recognitione Urbaniana ita mutatus est, ut alius reapse factus ex novo sit.

Chev. 2959; Jul. 228; Szöv. I, 424; II, 452 (*Placare, Christe, servulis*) – Thes. I, 256; PL, CXII, 1668; AH, LI, 150 – Brevv.: Ben., Carm., Cist., Pm., Praed., Vat.

[1] Haec str. sic sonat apud cdd. et Brevv.: *Gentem auferte perfidam / credentium de finibus, / ut Christo laudes debitas / persolvamus alacriter.* « Gens perfida » erant non Albigenses (quod falso censuit Daniel in Thes. l. c., ac postea ipse retractavit Thes. IV, 369), sed Saraceni in Italia inferiore saec. IX, vel potius Normanni in Gallia exeunte eodem saec. (cf. AH, l. c.); recentioribus vero temporibus idem dicebatur de aliis infidelibus, praesertim Mahometanis. Nunc autem, post spiritualem temperiem oecumenicam a Concilio Vat. II creatam, haec oratio non opportuna videtur. Praeterea non patefit nexus conveniens inter expulsionem infidelium et propositum (*ut*...) alacris laudationis Christi.

[2] Doxol. genericae subst. specialem, cum toto carmine cohaerentem, quae insuper utatur duobus vv. illius praec. quam suppress.

Ad Christum et Sanctos

Christe, caelorum habitator alme,
vita sanctorum, via, spes salusque [1],
hostiam clemens, tibi quam litamus,
suscipe laudis.

5 Omnium semper chorus angelorum
in polo temet benedicit alto,
atque te sancti simul universi
sedulo laudant.

9 Virginis sanctae meritis Mariae
atque cunctorum pariter piorum,
contine poenam, pie, quam meremur
daque medelam.

13 Hic tuam praesta celebrare laudem
flebilem vitam miseratus istam,
fiat ut nobis licitum videre
te sine fine [2].

17 Laus Redemptori (XIII).

A. ignotus – Saltem saec. X – Metr.

Chev. 2846 – Thes. IV, 192; AH, LI, 115.

[1] *haec domus fulget sub honore cuius* orig., cum h. sit pro dedicatione ecclesiae; subst. 1um v. h. Walahfridi Strab. (cf. n. 23).

[2] Haec str. possit haberi ut doxologica.

I nov.

OO. Sanctorum - *Ld.* **252**

AD CHRISTUM

Iesu, salvator saeculi,
redemptis ope subveni,
et, pia Dei genetrix,
salutem posce miseris.

5 Coetus omnes angelici,
patriarcharum cunei,
ac[1] prophetarum merita
nobis precentur veniam.

9 Baptista tui[2] praevius
et claviger aethereus
cum ceteris apostolis
nos solvant nexu criminis.

13 Chorus sacratus martyrum,
sacerdotum confessio[3]
et virginalis castitas
nos a peccatis abluant.

17 Monachorum suffragia
omnesque cives caelici
annuant votis supplicum
et vitae poscant praemium.

21 Sit, Christe, tibi gloria
cum Patre et Sancto Spiritu,
quorum luce mirifica
sancti congaudent perpetim[4].

A. ignotus – Saec. IX – Rhythm.

H. penitus in revisione Urbaniana refectus est, ita ut alius dici possit.

Chev. 9677; Szöv. II, 453 (*Salutis aeternae dator*) – Thes. I, 297; PL, CXII, 1668; AH, LI, 152 – Brevv.: Ben., Carm., Cist., Pm., Praed., Vat.

[1] Ita AH, Vat.; *et* Thes. et cett. Brevv.

[2] *Christi* orig.; sed cum sermo iam sit in ipsum Christum, ad maiorem cohaerentiam mut.

[3] Ita Carm.; quae lect., simplici inversione, optime medetur defectui lect. edd. et Brevv. *confessio sacerdotum*, pravo rhythmo affectae propter paenult. longam.

[4] Hanc doxol. subst. genericae, ut sermo pergeret in Christum et innueretur etiam hic ratio festi.

IN FESTIS ALIORUM SANCTORUM

21 ian.

S. Agnetis - *O. lect.* **253**

LAUDES IPSIUS

Illuxit alma saeculis
dies beatae virginis,
qua, morte victa, perpetis
vitae recepit gaudia.

5 Intravit Agnes auream
poli triumphans regiam
Agnique iuncta dulcibus
congratulatur nuptiis.

9 Admixta castis virginum
in arce caeli coetibus,
carmen novum Deo Patri
unáque Nato personat,

13 Iam digna tali praemio,
quae fluxa mundi prospera
pompasque saecli sordidas
amore Christi spreverat.

17 Pulsata nec non asperis
adversitatum spiculis,
fortis fide renititur [1]
Christo semel quam voverat.

21 Sic [2] Conditoris gloriam
cernit sui per saecula,
cives et inter patriae
caelestis hymnos concinit.

25 Iesu, tibi (XI) [3].

S. Beda Ven. – Metr.

Om. str. 6-11, quae referunt quaedam legendaria de eius martyrio.

Chev. 8421; Szöv. I, 427 – PL, XCIV, 626; AH, L, 106; Fraip. 414.

[1] *persèverat* orig., quod intolerabile videtur; unde subst.

[2] *Qua* orig.; quod refertur ad praec. str., hic omissam, e qua sumps. etiam istud *Sic* (*Sic... ad astra... praevolat*).

[3] Hanc doxol. adoptav. etiam pro Comm. Virg.

21 ian.

S. Agnetis - *Ld.* 254

LAUDES IPSIUS

Agnes beatae [1] virginis
natalis est, quo spiritum
caelo refudit debitum
pio sacrata sanguine.

5 Matura mar*tyri*o fuit
matura nondum nuptiis;
prodire quis nuptum putet,
sic laeta vultu ducitur [2].

9 Aras nefandi numinis
*ado*lere taedis cogitur;
respondet: « Haud tales faces
sumpsere Christi virgines.

13 Hic ignis extinguit fidem,
haec flamma lumen eripit;
hic hic ferit*e*, ut profluo
cruore restinguam focos ».

17 Percussa quam pompam tulit!
Nam veste se totam tegens,
terram genu flexo petit
lapsu verecundo cadens [3].

21 Iesu, tibi (XI).

S. Ambrosius – Metr.

Chev. 735; Szöv. I, 421 – Thes. I, 94; PL, XVII, 1210; Bir. 69; AH, L, 15; Bulst, 46; Sim. 48 – Brev. Ambr.

[1] *Agnetis almae* Ambr.; quae correctio inutilis videtur; *Agnes* est hic casu genetivo.
[2] Ad brev. om. vv. 7-12, 15-16, qui referuntur ad narrationem actorum, nec videntur hic necessarii.
[3] Item ad brev. om. vv. 27-30, qui nimis insistunt in praedicando pudore.

21 ian.

S. Agnetis - *Vp.* **255**

Laudes eius et oratio

Igne divini radians amoris
corporis sexum superavit Agnes,
et super carnem potuere carnis
claustra pudicae [1].

5 Spiritum celsae capiunt cohortes
candid*um* et caeli super astra tollunt;
iungitur sponsi thalamis pudica
sponsa beatis.

9 Virgo [2], nunc nostrae miserere sortis
et, tuum quisquis celebrat tropaeum [3],
impetret sibi veniam reatus
atque salutem.

13 Redde pacatum populo precanti
principem caeli dominumque terrae,
donet ut pacem pius et quietae
tempora vitae.

17 Laudibus mitem celebremus Agnum,
casta quem sponsum sibi legit Agnes,
astra qui caeli moderatur atque
cuncta gubernat.

Alfanus, ep. Salernitanus († 1085) – *Metr.*

Om. str. 2-6, quae referunt quaedam legendaria.

Chev. 8334; Szöv. I, 427; A. Lentini, Rassegna delle poesie di Alfano da Salerno (Bollett. Istituto Stor. Ital., 1957), n. 50, p. 241 – PL, CXLVII, 1244; AH, XXII, 17.

[1] *pudici* (?) AH.
[2] *Diva* orig., quod non placet de sanctis.
[3] *trophaeum* edd.; subst. formam semper alibi adhibitam.

Ad ipsum

Ambrosi, doctor inclite,
flos orbis, lux mirifica [1],
devotionis debitae
tibi libamus cantica.

Bono [2] fultum praesagio
te Roma profert iudicem,
Mediolani concio
quem vocat in pontificem.

Caelesti fonte genitus
iussu fugas daemonia;
rebelles quosque caelitus
sequestras ab ecclesia.

Dum Spiritus scientiae
te praedicante loquitur [3],
a spiritu nequitiae
Augustinus convertitur.

E caelo fulgens gratia
tibi revelat martyres;
quod nequis efficacia,
desiderando martyr es [4].

Graecorum mores imitans
sacra promis officia;
perfecte Christo militans
laetus potiris gloria.

Honor, decus, imperium
trino Deo et unico,
qui nobis per Ambrosium
det regno frui caelico.

A. ignotus – In Brev. ms. saec. XV – Rhythm.

Chev. 987 – AH, XIX, 50.

[1] *italica* orig.; subst. cum ipse sit lux totius ecclesiae.

[2] *Dono* AH, quod obscurum videtur; ideo *bono* subst. (vel portasse restituimus, errore scribarum corruptum).

[3] *Dum columbina specie / te Spiritus alloquitur* orig., quod non videtur accipiendum, cum saepe repetatur de sanctis iuxta id quod narratur de Gregorio M.

[4] Ad brev. om. seq. str., quae nullius fere pretii est.

LAUDES EIUS ET ORATIO

Ambrosium pontificem [1]
canamus omnes, turbidas
qui fluctuantis saeculi
terris procellas expulit [2].

Non sceptra concussus timet,
non imperantem feminam,
temploque, clausis postibus,
arcet cruentum Caesarem.

Sordes fluentis abluit
Aurelii caelestibus;
fide coaequans martyres,
invenit artus martyrum.

Iam nunc furentem tartari
lupum flagello submove;
scientiae nos lumine
fove, tuere iugiter [3].

Sit Trinitati gloria,
quam, te docente provide,
laudare cael*i* in curia
possimus usqu*e* in saeculum [4].

A. ignotus – Saec. incerto – Metr.

Chev. 12307 – Guéranger, Ann. lit., Adv. 394 – Brev. Ambr.

[1] *Nostrum parentem maximum* Ambr., quod convenit ecclesiae Ambrosianae; ideo mutandum.

[2] Om. quattuor seq. str., quae nimis insistunt minutis Ambrosii factis.

[3] *Quem pastor olim rexeris / gregem tuere iugiter* Ambr.; quod iterum refertur ad solam eccl. Ambrosianam; unde mut.

[4] Doxol. propriam subst., in qua adhuc sanctus memoraretur.

21 apr.

S. Anselmi - *Ld.* **258**

LAUDES EIUS

Fortis en praesul, monachus fidelis,
laurea doctor redimitus astat;
festus Anselmo chorus aemuletur
dicere carmen.

5 Intimum pulsans penetrale Verbi
fertur immotae fidei volatu;
dogmatum puros latices an ullus
altius hausit?

9 Praesulum defert tibi rex cathédram;
quid times luctam? properant triumphi:
exteras gentes, generosus exsul,
lumine reples.

13 Sis memor sancti gregis et patronus
sis ad aeternam Triadem, precamur,
cuncta cui dignas resonent per orbem
saecula laudes.

F. Le Bannier, O. S. B. († 1867) - *Metr.*

Str. 2am et 4am, quae referuntur ad eius vitam monasticam, hic om., etiam ad brev.; alias duas str. reservav. Vesperis.

Chev. 6493 – Guéranger, Ann. lit., Pa. II, 418 – Brev. Ben.

21 apr.

S. Anselmi - *Vp.* **259**

LAUDES EIUS

Sacra libertas ovibus redemptis
parta, cui Christus nihil anteponit,
urget Anselmum: studio quis aequo
vindicat ipsam?

5 Clara fit Romae tua fama, praesul;
pontifex summus tibi fert honores;
te fides poscit, siluere patres:
dogma tuere.

9 Sis memor sancti (*ut n.* 258).

Est altera pars h. praec.

S. Augustini Cantuar. – *Ld. et Vp.* **260**

Laudes eius et oratio

Fecunda sanctis insula,
tuum canas apostolum,
et filium Gregorii
laudes piis concentibus.

5 Eius labore fertilis,
messem dedisti plurimam,
quae sanctitatis floribus
diu refulges inclita.

9 Turma quadragenaria
stipatus intrat Angliam:
vexilla Christi proferens,
dux pacis affert pignora.

13 Crucis tropaeum promicat,
verbum salutis spargitur,
fidem quin ipse barbarus
rex corde prompto suscipit.

17 Mores feros gens exuit,
undisque lota fluminis
ipsa die renascitur
qua Sol salutis ortus est.

21 Pastor, fideles providus
a sede pascas siderum;
in matris ulnas anxiae
omnes reducas devios [1].

25 Praesta, beata Trinitas,
quae rore iugi gratiae
vitem rigas, ut vivida
fides ubique floreat [2].

F. Le Bannier, O. S. B. – *Metr.*

Chev. 6418 – Guéranger, Ann. lit., Pa. III, 627 – Brev. Ben. antiq.

[1] *O pastor alme, filios / a sede ... / in matris... / gregem reducas devium* orig.: ratione oecumenica, opportunum visum est orationem extendere ad omnes.

[2] *vitem rigas, ut pristina / fides resurgens floreat* orig.; quod mut. eadem ratione.

LAUDES EIUS

De profundis tenebrarum
mundo lumen exit clarum
et scintillat hodie:

Olim quidem vas erroris,
Augustinus vas honoris
datus est ecclesiae.

Verbo Dei dum oboedit,
credit errans et accedit
ad baptismi gratiam;

Quam in primis tuebatur,
verbis, scriptis exsecratur
erroris fallaciam.

Firmans fidem, formans mores,
legis sacrae perversores
verbi necat gladio;

Dei dogmata perlustrat,
veritatem et illustrat
vivae lucis radio [1].

Salve [2], gemma confessorum,
lumen Christi, vox caelorum,
tuba vitae, lux doctorum,
praesul beatissime.

Qui te ducem [3] venerantur,
te doctore consequantur
vitam ubi [4] gloriantur
beatorum animae.

A. ignotus – Saltem saec. XII – Rhythm.

Chev. 4245; Szöv. II, 465 – Thes. II, 155; Chev., Poésie, 227; AH, LV, 91.

[1] *obmutescit Fortunatus, / cedunt Manes et Donatus / tantae lucis radio* orig.; quae particularis mentio haereticorum non videtur congrua et nimis insistit in actione polemica Augustini.

[2] Alias str. ad brev. om.

[3] *patrem* edd., quod convenit iis qui illius regulam sequuntur; ideo subst.

[4] *in qua* edd.; subst. p. rh.

28 aug.

S. Augustini Hippon. - *Ld.* **262**

Ad ipsum

Magne pater Augustine,
preces nostras suscipe,
et per eas Conditori
nos placare satage,
atque rege nos fideles [1],
summum decus praesulum.

Amatorem paupertatis
te collaudant pauperes;
assertorem veritatis
amant veri iudices;
frangis nobis favos mellis
de scripturis disserens.

Quae obscura prius erant
nobis plana faciens,
tu de verbis Salvatoris
dulcem panem conficis,
et propinas potum vitae
de psalmorum nectare.

Tu de vita clericorum
sanctam scribis regulam,
quam qui amant et sequuntur,
viam tenent regiam
atque tuo sancto ductu
redeunt ad patriam.

Trinitati laus et honor
sit per omne saeculum,
cuius es scrutatus mira
acie mysterium [2];
quae nos tecum cives reddat
beatorum caelitum [3].

A. ignotus – Ante saec. XII – Rhythm.

Chev. 10968 – Thes. I, 313; AH, LII, 110.

[1] *gregem tuum* orig.; quod convenit asseclis eius; proinde mutandum.

[2] Ad memoranda insignia Augustini opera de Trinitate, om. genericos vv. *Regi regum salus, vita / decus et imperium,* et add. *cuius – mysterium.*

[3] *qui concives nos ascribat / supernorum civium* edd., quod mut. ut sermo clarius in sanctum verteretur.

Laudes eius et oratio

Fulget in caelis celebris sacerdos,
stella doctorum rutilans [1] in astris,
lumen intactum fidei [2] per orbis
climata spargens [3].

5 Cive tam claro, Sion o superna,
laeta dic laudes Domino salutis;
iubila, tellus, meritis protecta [4]
praesulis almi.

9 Hic fidem sacram vigil usque [5] firmat,
arm*a* et [6] errorum subigit potenter,
maculas morum lavat et repellit
dogmate claro.

13 O gregis Christi speculator alme,
speculum cleri [7], monachorum gemma,
tu Dei nobis faciem placatam
fac prece semper [8].

17 Laus, honor Patri parilique Proli,
una maiestas, eadem potestas,
cum quibus Sanctus simul implet omnem
Spiritus orbem [9].

Ascribitur Eckberto Schonaugiensi – Saec. XII – Metr. (cum nonnullis mendis).

Compositum in hon. s. Gregorii M., hunc h. usurpav. pro s. Augustino (cui bene, ut videtur, aptari potest), cum difficile sit invenire h. tanto Doctore haud indignum. A. videtur rei metricae satis expertus et carmen metricum fundere voluisse; quae menda occurrunt, fortasse postea invecta sunt; ceterum facile corrigi possunt.

Chev. Suppl. 26841; Szöv. II, 468 – AH, XXIII, 187.

[1] *rutilat* ed., cum mendo metrico.

[2] *fidei sacros radios* ed.; mut. ne repeteretur idem adiectivum pro *fide* v. 9, simul ad medendum mendo.

[3] Ad brev. om. 2^{am} str.

[4] Substitui posset *decóra.*

[5] *vigilanter* ed., cum mendo.

[6] Add. *et* ad vitandum hiatum.

[7] Ad vitandum mendum prosod. et propinqua *speculator – speculum,* possit substitui *cleri et exemplar.*

[8] E duabus str. ad brev. hanc contrax., auferendo quae magis communia sunt et adhibendo eadem verba quae in orig.; in fine, verbis orig. *placato / sancte Gregori* haec subst., tum ob ambiguum *placato* imperativum, tum ob mutationem sancti.

[9] Doxol. ea est quae in h. *Doctor insignis* s. Gregorii (n. 276).

Laudes eius

Fratres, alácri pectore
venite, concentu pari
fruamur huius inclitae
festivitatis gaudiis.

5 Hac Benedictus, aureis,
ostensor arti tramitis,
captis laborum praemiis,
honore gaudet debito [1].

9 Effulsit ut sidus novum
mundana pellens nubila;
aetatis ipso limine
despexit aevi florida.

13 Miraculorum praepotens,
afflatus Alti flamine,
resplenduit prodigiis
ventura saeclo praecinens [2].

17 Haec inter instar nectaris
miranda plectro claruit,
nam pinxit apte lineam
vitae sacrae sequacibus.

21 Sit Trinitati gloria,
cuius repletus gratia
hic filiorum plurimo
caelos adauget agmine [3].

Paulus Diaconus – Metr.

Chev. 6553; Szöv. I, 426 – Thes. I, 212; PL, XCV, 1591; Duemmler, I, 41; AH, L, 118.

[1] *Hac Benedictus aurea / ostensor arti tramitis, / ad regna conscendit pater / captans laborum praemia* orig.; 3[us] tamen v. mutandus erat, cum f. s. Ben. in posterum celebretur non die natali (21 mart.), sed translato; ideo illud *aurea* nunc rettulimus ad *praemia*, et 4[um] v. substit.

[2] Om. str. 6-14, quae recolunt miracula sancti.

[3] Om. etiam str. finalem precatoriam, nimis duram et solis monachis convenientem; add. autem doxol. propriam, quae in orig. deest.

AD IPSUM

Legifer prudens, venerande doctor,
e tuo vivax tumulo refulge;
denuo comple, Benedicte, mundum
lumine Christi.

Monte de celso, Moyses ut olim,
es Dei visus radiare luce,
candidae pacis stabilisque praebens
munera legis.

Floruit per te, pater alme, miro
gentium nexu sociatus ordo;
iuribus sacris tua vox subegit
dulciter omnes.

Liberos Iesu pariterque servos
regula magna statuisti alumnos,
quos amor fotus precibus revinxit
et labor unus.

Iamque fraterne, duce te, laborent,
mutuo certent populi favore,
gaudeant pacis refovere semper
dona beatae.

Sit honor Patri genitaeque Proli,
Flamini Sancto decus atque cultus,
gratia quorum tibi tanta laudis
gloria lucet.

A. Lentini, O. S. B. – *Metr.*

Sunt str. desumptae, paucis mutationibus inductis, ex h. qui, editus in commentario « Latinitas » (1954, p. 175), rite, ut censemus, aptatur muneri sociali s. Benedicti, propter quod ipse est etiam constitutus a Paulo Pp. VI Patronus primarius totius Europae.

AD IPSUM

Inter aeternas superum coronas,
quas sacro partas retinent agone,
emicas celsis meritis coruscus,
o Benedicte.

5 Sancta te compsit puerum senectus,
nil sibi de te rapuit voluptas,
aruit mundi tibi flos, ad alta
mente levato.

9 Hinc fuga lapsus patriam, parentes
deseris, fervens nemorum colonus,
edomas carnem, subigisque Christo
tortor acerbus.

13 Ne diu tutus latebras foveres,
signa te produnt operum piorum [1];
inde conscribis documenta vitae
pulchra beatae [2].

17 Iam docens omnes populos subesse
legibus tandem placitisque Christi,
fac tuis omnes precibus petamus
caelica semper [3].

21 Sit honor Patri [4] (*ut n.* 265).

Petrus Venerabilis, abb. Cluniacensis († 1156) – *Metr.*

Chev. 8992; Szöv. II, 471 – PL, CLXXXIX, 1019; AH, XLVIII, 240 – Brev. Ben.

[1] Cett. vv. om., qui memorant alia gesta vel miracula Benedicti.

[2] *Spargitur felix celeri per orbem / fama volatu* orig.; quibus vv., hic fere inutilibus, subst. hos desumptos ex h. *Laudibus cives* Ioannis Santolii: *Inde conscripsit documenta...* (Chev. 1044).

[3] Hanc str. add. ad melius claudendum h. cum oratione relata ad nostra tempora.

[4] Doxol. genericae subst. hanc ex h. *Legifer prudens* (n. 265). Ad brev., posset fortasse supprimi str. 3ª.

LAUDES EIUS

Virgo prudentum comitata coetum
obviam sponso veniens parata,
noctis horrendae removet [1] tenébras
lampade pura.

5 Ille [2] fulgentem nitidis lapillis
anulum miri tribuit decoris
virgini dicens: « Tibi trado sancti
pignus amoris ».

9 Mota flagrantis [3] stimulo caloris
mentis excessu rapitur frequenti,
fixa dum portat Catharina [4] membris
vulnera Christi.

13 Unde ter felix quater et beata
in sinu sponsi requievit almi,
inter illustres animas relata
lux nova caeli.

17 Sit Deus caeli residens in arce,
trinus et simplex benedictus ille,
qui potens totum stabili gubernat
ordine mundum.

A. ignotus – In ms. saec. XIV – Metr.

Exstant in AH, XLIII, 214-16 tres h., qui sunt reapse unius longi h. partes destinatae Vesperis, Matutino et Laudibus. Nostrum sumpsimus ex str. 1ª, 2ª, 4ª secundae partis et 5ª tertiae partis, cum doxol.

Chev. 21865; Szöv. II, 485 – AH, XLIII, 215-16.

[1] *repulit* orig., forma non recta; *reppulit* verò non oboedit metro; unde subst.

[2] *Illi* AH, lapsu, ut videtur, typogr.

[3] *fragrantis* AH, fortasse lapsu typogr.

[4] *fixa dum sacris tenet ille* AH; paululum mut. ut saltem semel sancta memoraretur nomine proprio; *ille* videtur novus lapsus typogr. pro *illa*.

Laudes eorum et oratio

Sedibus caeli nitidis receptos
dicite athletas geminos, fideles;
Slavicae duplex columen decusque
dicite gentis.

5 Hos amor fratres sociavit unus
unaque abduxit pietas erémo,
quo darent multis citius beatae [1]
pignora vitae.

9 Luce, quae templis superis renidet,
Bulgaros complent, Moravos, Bohemos;
devias [2] turmas numerosa Petro
agmina ducunt.

13 Fiat o vestris meritis ut orbis
noscat aeternae fidei nitorem [3];
quae dedit princeps, dabit ipsa semper
Roma salutem.

17 Christe, qui tantos fidei magistros
hos tuos servos populis dedisti,
laus tibi, nobis eadem paranti
gaudia caeli [4].

A. Leonetti, Sch. P. († 1887) – *Metr.*

Chev. 18784; Szöv. II, 453, ubi tamen a. indicatur ut ignotus; cf. Enciclopedia Cattolica, ad vocem *Sedibus...*

[1] *ferre quo multis celerent beatae* orig.; mut. ad rectiorem constructionem grammat.

[2] *mox feras* orig.; quod videtur durius.

[3] Om. 3^{am} str., quae nimis astringitur ad Slavos, etiam ad brev.; 4^{am} vero, quae incipit: *Quaeque vos clamat generosa tellus / servet aeternae f. n.*, ita mut. ut sensus dilataretur ad omnes.

[4] Str. orig. genericae hanc novam propriam subst.

AD IPSOS

Lux o decora patriae
Slavisque amica gentibus,
salvete, fratres; annuo
extollimus vos [1] cantico.

Quos Roma plaudens excipit,
complexa mater filios,
honoris auget lumine [2]
novoque firmat robore.

Terras adusque barbaras
inferre Christum pergitis;
quot vanus error luserat,
almo repletis munere.

Noxis soluta pectora
ardor supernus abripit;
mutatur horror veprium
in sanctitatis flosculos.

Et nunc adeste caelitus
cunctis in orbe gentibus;
factis avitis aemula
fides virescat pulchrior [3].

Sit Trinitati gloria,
quae vestra nobis inclita
det persequi vestigia
attinger*e* atque praemia [4].

A. Leonetti, Sch. P. – *Metr.*

Chev. 10857; Szöv. II, 451; auctor, qui hic indicatur ut ignotus, memoratur in Enciclopedia Cattolica, ad vocem *Lux o decora...*

[1] *vos efferemus* orig.; magis expedire videtur tempus praesens quam futurum; ideo mut.

[2] *auget corona praesulum* orig.; quod mut. quia Cyrillus videtur iuxta historiam non fuisse episcopus.

[3] In orig.: *Et nunc serena caelitum / locati in aula, supplici / adeste voto: Slavica / servate gentes Numini. // Errore mersos unicum / ovile Christi congreget; / factis avitis aemula / fides virescat pulchrior.* Tum ratione oecumenica (cum oratio Slavos tantum respicere videatur), tum ad auferendum *Numini*, in unam str. contrax.

[4] *Tu nos, beata Trinitas, / caelesti amore concita, / patrumque natos inclita / da persequi vestigia* orig.; mut. ad sermonem servandum in sanctos, praesertim vero quod 3us v., non perspicuus, videatur referri tantum ad Slavos.

5 aug.

S. Dominici - *Ld.* **270**

Laudes eius

Novus athleta Domini
collaudetur Dominicus,
qui rem conformat nomini,
vir factus evangelicus.

Conservans sine macula
virginitatis lilium,
ardebat quasi facula
pro zelo pereuntium.

Mundum calcans sub pedibus
manum misit ad fortia,
nudus occurrens hostibus,
Christi suffultus gratia.

Pugnat verbo, miraculis,
missis per orbem fratribus,
crebros adiungens sedulis
fletus orationibus.

Hic est fons ille modicus
crescens in flumen maximum,
qui mundo iam mirificus
potum largitur optimum [1].

Sit [2] trino De*o* et simplici
laus, honor, decus, gloria,
qui nos prece Dominici
ducat ad caeli gaudia.

C. Medici, ep. Urbevet. († 1257) – *Rhythm.*

Chev. 12389; Szöv. II, 475 – Mone, III, 270; AH, LII, 159 – Brev. Praed.

[1] Hanc str. add. ex alio h. eiusdem a. *Hymnum novae laetitiae*, minoris, ut videtur, pretii.
[2] Praemis. hoc *Sit* ad vitandum pravum hiatum *Deo et.*

LAUDES EIUS

Gaude, mater ecclesia,
laetam agens memoriam,
quae novae prolis gaudia
mittis ad caeli curiam.

5 Praedicatorum ordinis
dux et pater Dominicus
mundi iam fulget terminis,
civis effectus caelicus.

9 Carnis liber ergastulo
caeli potitur gloria,
pro paupertatis cingulo
stola ditatur regia [1].

13 Sit trino Deo (*ut n.* 270).

C. Medici (cf. n. 270). – *Rhythm.*

Chev. 6852; Szöv. II, 468 – Mone, III, 270; AH, LII, 158 – Brev. Praed.

[1] Om. seq. str.: *Fragrans odor de tumulo / cum virtutum frequentia / clamat pro Christi famulo / summi regis magnalia.*

LAUDES EIUS

In caelesti collegio
Franciscus fulget gloria,
insigni privilegio
Christi portans insignia [1].

Hic coetus apostolici
est factus consors pauperis,
crucem in se dominici
signum reportans foederis.

Hic martyr desiderio
crucem post Iesum baiulat,
quem martyrum consortio
Christus in caelis copulat.

Crucem per abstinentiam
Franciscus ferens iugiter,
iam confessorum gloriam
adeptus est feliciter.

Candens decore niveo,
passum hic sequens Dominum,
nunc castitatis praemio
gaudet in choro virginum [2].

Pater, Natus cum Flamine
nos per Francisci vulnera
lustret divino lumine
aeterna donans munera.

A. ignotus – In Brev. ms. saec. XV – Rhythm.

Chev. 8539 – AH, XI, 131.

[1] Om. seq. str. ad brev.
[2] Etiam seq. str. om., quae repetit sententiam primae.

LAUDES EIUS ET ORATIO

Franciscus, florens gratia,
forma factus humilium,
laetus potitur gloria
sortis consors caelestium [1].

5 Hic simplex, rectus, humilis,
pacis cultor amabilis,
lumen in vase fictili
ardens, lucens in fragili.

9 Vili contentus tegmine,
sancto calescit Flamine:
vincit ardore frigora [2],
Christi dum gestat stigmata.

13 Pauper, nudus egreditur,
caelum dives ingreditur;
spargit virtutum munera,
aegris profligat vulnera.

17 Insignis [3] pater pauperum,
nos pauperes fac spiritu;
consortes redde superum
ereptos ab interitu.

21 Patri, Nato, Paraclito
decus, honor et gloria;
sint huius sancti merito
nobis aeterna gaudia.

R. Capoccio († 1258) – *Rhythm.*

Habentur huius h. duae recensiones; altera, quae videtur orig., incipiens str. *Plaude, turba paupercula,* quae refertur ad Francisci asseclas: AH, IV, 139; LII, 181 (a); altera, aptata omnibus et brevior: AH, XII, 121 (b). Hanc sequimur, str. tamen 4^{am} ex recens. (a) amplexi.

Chev. 15058 (*Plaude, turba paupercula*) – Mone, III, 303; AH, IV, 139; XII, 121; LII, 181.

[1] Str. haec, ex recens. (b), sumpta videtur ex h. *In caelesti collegio / novus collega colitur* Thomae Capuani († 1243): AH, LII, 179.

[2] *vincunt algorem caumata* recens. (a), scil. orig.; *vicit algore caumata* recens. (b). Ad vitandum vero anacoluthon ex lect. *calescens,* quam habet utraque recensio, subst. *calescit*; item ad vitandum vocab. *caumata,* plerisque difficile, et servandum idem subiectum, mut.

[3] *Verorum* orig., quod videtur polemicum.

3 sept.

S. Gregorii M. - *O. lect.* **274**

Ad ipsum

Anglorum iam apostolus,
nunc angelorum socius,
ut tunc, Gregori, gentibus,
succurre iam credentibus.

5 Tu largas opum copias
omnemque mundi gloriam
spernis, ut inops inopem
Iesum sequaris principem [1].

9 Te celsus Christus pontifex [2]
suae praefert ecclesiae;
sic Petri gradum percipis,
cuius et normam sequeris.

13 O pontifex egregie,
lux et decus ecclesiae,
non sinas in periculis
quos tot mandatis instruis [3].

17 Sit Patri laus ingenito,
sit decus Unigenito,
sit utriusque parili
maiestas summa Flamini.

S. Petrus Damiani – Rhythm.

Est pars prior h.

Chev. 1079; Szöv. I, 422 – PL, CXLV, 957; AH, XLVIII, 45; Lokr. 96 – Brev. Ben.

[1] Om. seq. str., compluribus intellectu difficilem.
[2] *Ex hoc te Christus tempore* orig., quod suppressa str. praec. non intellegitur; ideo subst.
[3] *construis* AH.

3 sept.

S. Gregorii M. - *Ld.* **275**

AD IPSUM

Sol mundo fundens radios,
nostras tenébras abige;
in pacem mentis oculos
tu dux, Gregori, dirige [1].

5 Mella cor obdulcantia
tua distillant labia;
fragrantum vim aromatum
tuum vincit eloquium.

9 Scripturae sacrae mystica
mire solvis aenigmata;
theorica [2] mysteria
te docet ipsa Veritas.

13 Tu nactus apostolicam
vitam simul et gloriam,
nos solve culpae nexibus,
redde polorum sedibus.

17 O pontifex egregie,
lux et decus ecclesiae,
non sinas in periculis
quos tot mandatis instruis [3].

21 Sit Patri (*ut n.* 274).

S. Petrus Damiani – Rhythm.

Est posterior pars h. *Anglorum iam apostolus.*

[1] Ad hunc h. rursus rite introducendum, hanc str. praemis. sumptam ex officio rhythmico *Lauda felix* (AH, V, 186) et necessario mutatam: *O sol mundo diffundens radios, / nostrae mentis tenebras abige, / verae pacis in viam filios, / dux et pater, Gregori, dirige.* Secus, h. incipiendus esset, ut in Brev. Ben., per 2^{am} str. *Mella*...; non tamen recte, nisi nomen Gregorii rursus appareret; e. g.: *Mella, Gregori, dulcia / tua*...

[2] Si hodie videatur parum intellegibile, possit aliud substitui (*sublimia*; *et caelica; profundaque*).

[3] Ita etiam in Brev. Ben. haec str. repetitur.

Ad ipsum

Doctor [1] insignis, venerande praesul [2],
te sacerdotum [3] populique turba
corde prostrato vigilique poscit
carmine [4] patrem.

5 Vota cunctorum relevans in aula
regis aeterni, foveas utrumque
ordinem, cuius pius exstitisti
pastor in Urbe [5].

9 Moribus sanctis decorare [6] vitam
confer, et puram [7] placidamque mentem;
corda virtutum meditentur arma
munere Christi.

13 Impetra nobis, quoties rogaris,
gratiae, pastor, studium supernae;
credimus magnum, Domino favente,
te dare munus [8].

17 Laus, honor Patri parilique Proli,
una maiestas, eadem potestas,
cum quibus Sanctus simul implet omnem
Spiritus orbem.

A. ignotus – Saec. IX (?) *– Metr.*

Hic h., qui incipit *Summe confessor sacer et sacerdos,* fere certo compositus in hon. S. Gregorii ac postea aptatus pro Comm. Confess. et Pontif., in Proprio Casinensi exstat compluribus locis, quo auctore nondum novimus, emendatus, fere semper in melius; quare eius lectiones praetulimus.

Chev. 19664 – AH, II, 77; XXVII, 260 – Brev.: Proprium Casinense.

[1] 1am str., genericam, etiam ad brev. om.

[2] In AH 2ª str. incipit: *Praesul insignis meritisque clare;* in Propr. Casin. 1ª str.: *Summe confessor, venerande praesul;* 2ª: *Doctor insignis meritisque clare.* Ex lect. Proprii Casin. ita primum v. aptav., ut statim appareret duplex titulus huius sancti.

[3] *sacra cleri* AH, cacophonicum; *sacerdotes* Propr. Casin.; mut. ut maneat subiectum *turba.*

[4] *vigilique... carmine*] *pietate... vernula* AH.

[5] Sequuntur in AH tres str., quas etiam Propr. Casin. omitt.

[6] *cunctis moderare* AH.

[7] *sudam* AH.

[8] *Sancte, tu praebe quoties rogaris / profluos fructus pluviasque largas, / credimus cuncta Domino favente / te dare posse* AH.

LAUDES EIUS

Pontifex magnus, populo stupente,
voce permotus supera [1], loquentis
Spiritus Sancti documenta sensit,
actibus implet [2].

5 Triticum cernens loliis scatere
praesul et messem manibus profanis
obici, zelo rapiente saevit,
alter Elias.

9 Ut viam currant patriae supernae
libero gressu populi fideles,
anteit pastor, propriam paratus
tradere vitam.

13 Israel murus [3] domui stetisti,
criminum vindex columenque Romae;
inter aerumnas placida, Gregori,
morte bearis [4].

17 Sis memor sancti (*ut n.* 258).

F. Le Bannier, O. S. B. – *Metr.*

Chev. 15142 – Guéranger, Ann. lit., Pa. III, 594 – Brev. Ben. antiq.

[1] *sub columbina specie, loquentis* orig.; mut. cum non videretur facile accipiendum id quod saepe repetitur ex eo quod narratur de s. Gregorio M.

[2] Ad brev. om. 2am str., quae agit de ope Mathildis.

[3] *Murus Israel* orig., ubi vocalis *–a–* recte computatur longa; sed cum absonum nobis sit pronuntiare *Isráel*, invert.

[4] Om. ad brev. etiam seq. str.

LAUDES EIUS

Festiva canimus laude Hieronymum[1],
qui nobis radiat sidus ut eminens
doctrinae meritis ac simul actibus
vitae fortis et asperae.

5 Hic verbum fidei sanctaque dogmata
scrutando studuit pandere lucide,
aut hostes, vehemens ut leo, concitus
acri voce refellere.

9 Insudans alacer prata virentia
Scripturae coluit caelitus editae,
exind*e* et locuples dulcia protulit
cunctis pabula gratiae.

13 Deserti cupiens grata silentia,
ad cunas Domini pervigil astitit,
ut carnem crucians se daret intime
Patri munus et hostiam.

17 Tanti nos, petimus te, Deus optime,
doctoris precibus dirige, confove,
ut laetas liceat nos tib*i* in omnia
laudes pangere saecula.

Unus e nostris – Metr.

Cum non invenerimus, inter plurimos, hymnum qui apte celebret individuas sanctitatis notas huius magni doctoris, novum ausi sumus conficiendum curare.

[1] Huic soli metro, ex consuetis in liturgia, aptatur vocabulum *Hieronymus*, quod hic bene consistit sive elidendo vocalem praec., sive legendo *Hie-* ut *Je-*, more poetarum mediae aetatis.

Ad s. Annam

Gaude, mater Anna,
gaude, mater sancta,
cum sis parens facta
Dei matris alma [1].

Plaude tali natae,
virgini Mariae;
eius genitore [2]
Ioachim congaude [3]

In hac nostra terra
primo benedicta,
quae fuit in Eva
quondam maledicta.

Ergo sume laudes
quas damus ovantes;
nos ab omni sorde
tua prece terge.

Sit laus Deo Patri,
summo Christo decus,
Spiritui Sancto
honor, tribus unus [4].

A. ignotus – Saec. XVI (?) – Rhythm.

Chev. 6833 – AH, XLIII, 78 – Brev. Ben.

[1] *cum sis Dei facta / genetrix avia* AH, valde mendose; *cum sis parens facta / genitricis Dei* Ben., melius, sed ablata consonantia (*facta – Dei*); in textu correximus, ut etiam consonantiae ratio haberetur.

[2] *genitori* Ben.

[3] Ben. perperam apponit punctum, quo suspensa ac male exstructa manet str. seq.

[4] Eadem doxol. quae in h. *Ave, maris stella* (n. 146).

26 iul.

SS. Ioachim et Annae - *Ld.* 280

Laudes s. Annae et oratio ad utrumque

Nocti succedit [1] lucifer,
quem mox aurora sequitur,
solis ortum praenuntians
mundum lustrantis [2] lumine.

5 Christus sol est iustitiae,
aurora Mater gratiae,
quam, Anna, praeis [3] rutilans
legis propellens tenebras.

9 Anna, radix uberrima,
arbor tu [4] salutifera
virgam producens floridam,
quae Christum nobis attulit [5].

13 O matris Christi genetrix
tuque parens sanctissime,
natae favente merito
nobis rogate veniam [6].

17 Iesu, tibi (xi) [7].

A. ignotus – Saltem saec. XV – Rhythm.

Chev. 12039 – Mone, III, 195; AH, XXIII, 120 – Brev. Ben.

[1] *Succedit nocti* Ben.

[2] *lustrantis orbem* Ben.

[3] *praeit* Ben., sermone semper in 3^am^ personam verso.

[4] *et* Ben.

[5] Ita Ben., recte mutans textum AH: *virgas producens triplices / septem onustas fructibus.*

[6] In orig.: *Matris Christi tu genetrix, / Christi tu felix avia, / cum nato cumque filia / nos adiuva te tertia*; quam str. non pulchram, a Ben. omissam, ita accommodav. ut oratio maneret et sanctus quoque Ioachim memoraretur.

[7] Doxol. de B. M. V., valde opportuna, est etiam in Ben.

26 iul.

SS. Ioachim et Annae - *Vp.* **281**

LAUDES EORUM

Omnis sanctorum concio
matrem collaudet Virginis,
de cuius puerperio
salus processit hominis.

5 Haec prolem devotissime
petit [1] a Patre luminum,
et meruit dignissime
Mariam, decus virginum.

9 Ex Ioachim, quem habuit
vitae virum eximiae [2],
Anna Mariam genuit,
matrem regis iustitiae.

13 Stirps Iesse clara deluit
Evae matris opprobrium,
dum Anna prolem genuit
florem sanctorum omnium.

17 Iesu, tibi (XI).

A. ignotus – Saec. incerto – Rhythm.

Constat ex antiphonis ad Laudes quae continentur in liturgico Off. rhythm. *Felix Anna cella munditiae*: Chev. 6004.

AH, V, 121 – Brev. Ben., 26 iul., ad Vesp.

[1] *petiit* Ben.

[2] *eximium* AH, Ben.; *eximiae* requirunt tum sensus, tum consonantia servata in omnibus str.

LAUDES IPSIUS

Conscendat usque sidera
caelique pulset intima
vox atque cantus omnium
te Deum collaudantium.

5 Adest namque festivitas
et dies venerabilis
in quo caelum pro meritis
Laurentius ingressus est.

9 Qui superatis ignibus
et impiis tortoribus,
devictis saevis hostibus
nunc gaudet in caelestibus.

13 Ipse dignetur Dominum
rogare clementissimum,
ut ab aeternis ignibus
nos salvet et daemonibus.

17 Honor Patri cum Filio
et Spiritu Paraclito,
qui suum reddunt militem
honoris lauro nobilem [1].

Heribertus a Rothenburg († 1042) – *Rhythm.*

Chev. 3807; Szöv. I, 424 – Thes. I, 291; IV, 188; PL, CXLI, 1371; AH, L, 294.

[1] Doxol. genericae aut communi subst. hanc propriam.

Laudes eius martyrii et oratio

In[1] martyris Laurentii
non incruento proelio,
armata pugnavit Fides[2]
*propr*ii cruoris prodiga.

5 Praefectus exclamat furens:
« Conscende constratum rogum;
vitam teneb*o* et differam
poenis morarum iugibus ».

9 Ill*i* os decore splenduit
fulgorque circumfusus est:
talem revertens legifer[3]
de monte vultum detulit;

13 Talemqu*e* et ille praetulit
oris corusci gloriam
*Stepha*nus per imbrem saxeum
caelos apertos intuens[4].

17 Sic, sancte Laurenti, tuam
nos passionem quaerimus;
quod quisque supplex postulat,
fert impetratum prospere,

21 Dum cael*i*[5] inenarrabili
allectus urbi municeps,
aetern*ae* in arce curiae
gestas coronam civicam.

25 Honor Patri cum Filio
et Spiritu Paraclito,
qui te corona perpeti
cingunt in aula gloriae[6].

Prudentius – Metr.

Peristeph. II, vv. 15-18; 313-14; 353; 337; 338; 361-64; 369-72; 549-50; 565-66; 553-56.

Hunc h. excerps., paucissimis omnino verbis necessario mutatis aut vv. loco transpositis.

Szöv. I, 86 – PL, LX, 296; Berg. 296; Cunn. 257.

[1] *Sed* orig., iuxta suum contextum.
[2] Ita, maiuscula littera, Berg.; non agitur de fide solius Laurentii.
[3] Fortasse clarius *Moyses*.
[4] Placet haec memoria primi martyris et diaconi.
[5] *illic* Prud., iuxta suum contextum, ubi agitur de *aula poli*.
[6] Doxol. est quam proposuimus pro Communi un. Mart.

Laudes ipsius et oratio

Martyris Christi colimus triumphum,
dona qui mundi peritura spernit,
fert opem nudis, alimenta, nummos
tradit egenis [1].

Igne torquetur, stabili tenore
cordis accensus superat minaces
ignium flammas in amore vitae
semper opimae.

Spiritum [2] sumpsit chorus angelorum,
intulit caelo pie [3] laureandum,
ut scelus laxet [4] hominum, precando
omnipotentem.

Supplici voto rogitamus omnes,
sancte Laurenti, veniam preceris,
qui tuum festum celebrant ubique
voce vel actu.

Gloriam Patri resonemus omnes,
eius et Nato iubilemus apte,
cum quibus regnat simul et creator
Spiritus almus.

A. ignotus – Saltem saec. X – Metr.

Chev. 11268 – Mone, III, 388; Thes. IV, 140; AH, LI, 193.

[1] Sive ad brev., sive quia prima str. in orig. generica est, hanc str. conflav. ex 1^{a}, cuius sumps. v. 1um, et 4^{a} quae ita sonat: *Sprevit hic mundi peritura dona, / fert opem nudis, alimenta claudis, / dividit nummos miseris catervis / corde flagranti.* Om. str. 2^{am} (de s. Xysto) et 3^{am} (de praefecto qui petit thesauros).

[2] Str. quoque 6^{am} omis. de Laurentio alloquente praefectum: « Verte... partem laniando coctam ».

[3] Est unum ex paucissimis mendis (cf. *iubilemus*) huius h. metr.; quod potest manere; secus substituendum *probe* vel aliud.

[4] *lavet* AH, certe dulcius, sed metrice mendosum; indulgendum 2^{ae} syll. brevi.

Cum quaestio de tribus mulieribus eiusdem nominis Mariae, nempe Magdalena, peccatrice ignota, sorore Lazari, ut notum est, sit valde implexa et recte dubitandum sit de earum identitate, opportunum videtur ut celebretur in hymnis solum M. Magdalena de qua certo loquuntur Evangelia, seu illa quae ab obsessione daemonum liberata est, quae secuta est Dominum, stetit iuxta crucem et testis fuit resurrectionis eius. Cum autem hymni pro hac sancta non possint sumi e Communi, et copiosissimi nunc exstantes semper de aliis quoque Mariis agant, necessarium duximus duos novos componendos curare, et in sequenti substituere pro str. 1-2, quae referuntur ad peccatricem convivii, duas novas quae tamen cohaererent cum 3ª et 4ª.

AD CHRISTUM

Tu, Christe, nos dulcedine
divini amoris erigis,
devotionis munera
cum Magdalenae suscipis.

5 Cedentibus apostolis,
persistit illa fortior,
cum Matre morti deditum
te prosequens fideliter [1].

9 Astare non timet cruci,
sepulcro inhaeret anxia,
truces nec horret milites:
pellit timorem caritas.

13 O vera, Christe, caritas,
tu nostra purga crimina,
tu corda reple gratia,
tu redde caeli praemia.

17 Da, Christe, tantae servulae
dilectionem persequi,
et nos ut in caelestibus
tibi canamus gloriam [2].

(3ª et 4ª str.) *S. Robertus Bellarmino* († 1621) – *Metr.*

Chev. 14685; Jul. 883; Szöv. II, 452 – Thes. IV, 305 – Brevv.: Ben., Cist., Pm.

[1] Hae duae str. possent etiam ita proponi: *Quae Magdalenae pignora / immensi amoris excipis, / te, Christe, nos ardentius / ut diligamus excitant. // Cedentibus apostolis, / persistit illa fortior, / consors dolorum, traditum / te morti amanter prosequens.*

[2] Doxol. genericae, nec satis pulchrae, propriam subst.

22 iul.

S. M. Magdalenae - *Ld.* **286**

Ad ipsam

Aurora surgit lucida
Christi triumphos afferens,
cum corpus eius visere,
Maria, vis et ungere.

5 Anhela curris; angelus
sed ecce laetus praedocet
mortis refractis postibus
redisse quem desideras.

9 Sed te manet iucundius
intact*i* amoris praemium,
cum, voce pulsans vilicum,
tuum magistrum conspicis.

13 Quae cum dolenti Virgine
haesist*i* acerbo stipiti,
tu prima viv*i* ab inferis
es testis atque nuntia.

17 O flos venuste Magdalae,
o Christ*i* amore saucia,
tu caritatis ignibus
fac nostra corda ferveant.

21 Da, Christe (*ut n.* 285).

Unus e nostris – Metr.

AD IPSAM

Magdalae sidus, mulier beata,
te pio cultu veneramur omnes,
quam sibi Christus sociavit arcti
foeder*e* amoris.

Cum tib*i* illius patefit potestas
daemonum vires abigens tremenda,
tu fide gaudes potiore necti
grata medenti.

Inde te cogit vehemens amoris
vis ut insistas pedibus Magistri,
fervidis illum comitata semper
sedula curis.

Tuque comploras Dominum, crucique
oscul*a* affigis pietatis aestu;
membra tu terges studios*a* et ungis
danda sepulcro.

Dulce nos, praesta, modo praebeamus
debitum, Iesu, tibi caritatis,
ut tibi laudes pariter perennes
demus ovantes.

Unus e nostris – Metr.

AD IPSUM

Martine, par apostolis[1],
festum colentes tu fove;
qui vivere discipulis
aut mori vis[2], nos respice.

Fac nunc quod olim gesseras,
nunc praesules clarifica,
auge decus ecclesiae,
fraudes relide Satanae.

Qui ter chaos eviceras[3],
mersos reatu suscita;
diviseras ut chlamydem,
nos indue iustitiam.

Ut specialis gloriae
quondam tuae memineris[4],
pontificum[5] nunc ordini
pio favore[6] subveni.

Sit Trinitati gloria,
Martinus ut confessus est,
eius[7] fidem per opera
qui semper in nos roboret.

S. Odo, abb. Cluniac. († 943) – *Rhythm.*

Chev. 11196; Szöv. I, 429; II, 474 – PL, CLXXVIII, 1773; AH, L, 266.

[1] Haec laus videtur aliquantulum exaggerata; notaverat iam Petr. Abaelardus: « Qua etiam praesumptione singulis annis decantare non veremur *Martine, par apostolis...* discretio vestra diiudicet » (AH, XLVIII, 144). Possit substitui *lux ecclesiae* vel simile.

[2] *vis aut mori* orig.; invert. p. rh.

[3] *evisceras* edd., quae lect. est insolens et obscura, fortasse invecta errore scribarum; cf. *gesseras* (v. 5) et *diviseras* (v. 11), tempore plusquamperf.

[4] *quondam recorderis tuae* orig.; mut. p. rh.

[5] *monastico* orig.; in Brev. universalis Eccl. opportunum est orationem extendere amplius.

[6] *iam paene lapso* orig., evidenter mutandum.

[7] *cuius* in orig.; mut. ut melius appareret *qui* referri ad Martinum, *eius* ad Trinit.

II nov.

S. Martini Turon. - *Ld.* **289**

AD IPSUM

Martine, confessor Dei,
valens vigore Spiritus,
carnis fatiscens artubus,
mortis futurae praescius:

5 Qui pace Christi affluens,
in unitate Spiritus
divisa membra ecclesiae
paci reformas unicae:

9 Quem vita fert probabilem,
quem mors cruenta non ferit,
qui callidi versutiis
in mortis hora derogas:

13 Per te quies sit temporum,
vitae detur solatium,
pacis redundet commodum,
sedetur omne scandalum,

17 Ut caritatis spiritu
sic affluamus invicem,
quo corde cum suspiriis
Christum sequamur intimis.

21 Sit Trinitati (*ut n.* 288).

A. ignotus – Saltem saec. IX – Metr.

Chev. 11189; Szöv. I, 429 – Mone, III, 430; Thes. IV, 142; PL, LXXXVI, 1240; Bibl. Casin. I, Flor. 240; AH, XXVII, 218.

Laudes ipsius

Iste confessor Domini sacratus,
festa plebs cuius celebrat per orbem,
hodie laetus meruit secreta
scandere caeli.

5 Qui pius, prudens, humilis, pudicus,
sobrius, castus fuit et quietus,
vita dum praesens vegetavit eius
corporis artus.

9 Ad sacrum cuius tumulum frequenter
membra languentum modo sanitati,
quolibet morbo fuerint gravati [1],
restituuntur.

13 Unde nunc noster chorus in honorem
ípsius, hymnum canit hunc libenter,
ut piis eius meritis iuvemur
omne per aevum.

17 Sit salus illi, decus atque virtus,
qui supra caeli residens cacumen,
tótius mundi machinam [2] gubernat
trinus et unus.

Hunc h. adoptav. pro Comm. un. Conf. Pont., n. 169 (cf. quae ibi adnotav.), 3ª str. suppressa, quam nunc inserimus, ut integer canatur h. qui proprius dicitur huius sancti.

[1] *gravata* Thes. et Brevv. iuxta paucos cdd.
[2] Ita, ut videtur, orig., sed cum mendo metrico *mā-*

15 oct.

S. Teresiae - *Ld.* **291**

LAUDES EIUS

Haec est dies, qua candidae
instar columbae, caelitum
ad sacra templa spiritus
se transtulit Teresiae,

5 Sponsique voces audiit:
« Veni, soror, de vertice
Carmel*i* ad Agni nuptias;
ven*i* ad coronam gloriae ».

9 Te, sponse Iesu virginum,
beat*i* adorent ordines,
ut nuptiali cantico
laudent per omne saeculum.

Urbanus VIII († 1644) – *Metr.*

Chev. 7580; Szöv. II, 451 – Thes. IV, 309 – Brevv.: Ben., Carm., Praed., Vat.

15 oct.

S. Teresiae - *Vp.* **292**

AD IPSAM

Regis superni nuntia
domum paternam deseris,
terris, Teresa, barbaris
Christum datur*a* aut sanguinem.

5 Sed te manet suavior
mors, poena poscit dulcior:
divin*i* amoris cuspide
in vulnus icta concides.

9 O caritatis victima,
tu corda nostra concrema,
tibique gentes creditas
infern*i*[1] ab igne libera.

13 Te, sponse (*ut n.* 291).

Urbanus VIII – *Metr.*

Chev. 17234; Szöv. II, 452 – Thes. IV, 309 – Brevv.: Ben., Carm., Praed., Vat.

[1] *averni* orig., quod aliquantulum mythologiam redolet.

28 ian.

S. Thomae Aquin. - *Ld. et Vp.* **293**

Laudes eius

Exsultet mentis iubilo
laudans turba fidelium,
errorum pulso nubilo
per novi solis radium.

5 Thomas immensos caelitus [1]
fudit thesauros gratiae,
donis plenus divinitus [2]
morum et sapientiae.

9 De cuius fontis copia
Verbi coruscant faculae,
Scripturae mira eloquia [3]
et veritatis regulae.

13 Fulgens doctrinae radiis,
clarus vitae munditia,
splendens miris prodigiis
dat toti mundo gaudia.

17 Sit Patri laus ac Genito
simulque Sancto Flamini,
qui sancti Thomae merito
nos caeli iungant agmini.

A. ignotus – Saec. XIV – Rhythm.

Chev. 5873; Szöv. II, 467 – Mone, III, 517; Guéranger, Ann. lit., Sept. 401; AH, LII, 302.

[1] *in mundi vespere* orig.; lect. obscura.

[2] *ex aethere* orig.; quod mut., tum ut consonaret cum *caelitus*, tum ut clarior esset conceptus.

[3] *De cuius fonte luminis / Verbi coruscant faculae / scripturae sacrae numinis* orig.; ad auferendum hoc *numinis*, quod sapit mythologiam, debuimus etiam 1um v. mutare iuxta structuram cett. str., in quibus vv. alternatim consonant.

In feriis ultimae hebdom. post Pentec. - *O. lect.* 294

Descriptio ultimi iudicii

Dies irae, dies illa
solvet saeclum in favilla,
teste David cum Sibylla [1].

Quantus tremor est futurus,
quando iudex est venturus
cuncta stricte discussurus.

Tuba mirum spargens sonum
per sepulcra regionum
coget omnes ante thronum.

Mors stupebit et natura,
cum resurget creatura
iudicanti responsura.

Liber scriptus proferetur,
in quo totum continetur
unde mundus iudicetur.

Iudex ergo cum sedebit [2],
quicquid latet apparebit;
nil inultum remanebit.

O tu, Deus maiestatis,
alme candor Trinitatis,
nos coniunge cum beatis [3].

Ascribitur, sed adhuc valde dubie, Thomae Celanensi – Saec. XIII – Rhythm.

Cum illud veri simile sit quod notissimum hoc praeclarumque carmen expungatur ex liturgia Defunctorum vel solum ad libitum servetur, non abs re erit illud hymnis Officii aggregare; gravis enim iactura tum artis poeticae tum christianae pietatis esset amissio huius hymni « qui — ut ait Daniel (Thes., l. c.) — uno omnium consensu sacrae poeseos summum decus et Ecclesiae Latinae κειμήλιον est pretiosissimum ». Tempus autem videtur aptum hebdomada ultima post Pentecosten, quando etiam lectiones Missae de extrema parusia Domini erunt; praeparatio quoque ita fiet ad evangelium Domin. I Adventus, in qua primitus (ut videtur) carmen hoc canebatur.

Chev. 4626; Szöv. II, 465 – Thes. II, 103; AH, LIV, 269 – Miss. Rom.

[1] Ita traditio ethnica advocatur, una cum Hebraica, ad testimonium perhibendum de universali expectatione ultimi iudicii Christi et finis mundi huius; quae grandis visio non perimenda videtur. Si tamen Sibylla visa fuerit nimis aures christianorum offendere, v. 3[us], iuxta lectionem alterius h. (Chev. 4623), poterit ita mutari: *pandet Christus cum vexilla.*

[2] *censebit* AH; quod pauci cdd. habent; nec apparet ratio cur reicienda sit lectio vulgata.

[3] Hanc str., praebitam in quibusdam chartis saec. xv (cf. AH, p. 273), add. ad modum doxologiae. Ratione habita stropharum 2[ae] et 3[ae] partis, melius quam *nos*, v. 21, ad unitatem compositionis, esset *me.*

Ad Christum iudicem

Quid sum miser tunc dicturus,
quem patronum rogaturus,
dum[1] vix iustus sit securus?

Rex tremendae maiestatis,
qui salvandos salvas gratis,
salva me, fons pietatis.

Recordare, Iesu pie,
quod sum causa tuae viae,
ne me perdas illa die.

Quaerens me sedisti lassus,
redemisti crucem passus;
tantus labor non sit cassus.

Iuste iudex ultionis,
donum fac remissionis
ante diem rationis.

Ingemisco tamquam reus,
culpa rubet vultus meus;
supplicanti parce, Deus.

O tu, Deus maiestatis,
alme candor Trinitatis,
nos coniunge cum beatis[2].

Est 2ª pars sequentiae *Dies irae.*

[1] *Cum* in lect. vulgata, quod posset retineri.
[2] Cf. quod animadvert. n. 294, not. 3.

Ad Christum iudicem

Qui Mariam absolvisti
et latronem exaudisti,
mihi quoque spem dedisti.

Preces meae non sunt dignae,
sed tu, bonus, fac benigne
ne perenni cremer igne.

Inter oves locum praesta
et ab haedis me sequestra
statuens in parte dextra.

Confutatis maledictis,
flammis acribus addictis,
voca me cum benedictis.

Oro supplex et acclinis,
cor contritum quasi cinis,
gere curam mei finis.

Lacrimosa dies illa,
qua resurget ex favilla
iudicandus homo reus:
huic ergo parce, Deus [1]!

O tu, Deus maiestatis,
alme candor Trinitatis,
nos coniunge cum beatis [2].

[1] Haec str. videtur additicia, et posset etiam expungi.
[2] Cf. n. 294, not. 3.

I

Praesta, Pater piissime,
Patrique compar Unice,
cum Spiritu Paraclito
regnans per omne saeculum.

II

Praestet hoc nobis Deitas beata
Patris ac Nati, pariterque Sancti
Spiritus, cuius resonat per omnem
gloria mundum.

III

Christum rogamus et Patrem,
Christi Patrisque Spiritum;
unum potens per omnia,
fove precantes, Trinitas.

IV

Deo Patri sit gloria
eiusque soli Filio
cum Spiritu Paraclito,
nunc et per omne saeculum.

V

Sit salus illi, decus atque virtus
qui supra caeli residens cacumen,
tótius mundi seriem gubernat
trinus et unus.

VI

Sit Trinitati sempiterna gloria,
honor, potestas atque iubilatio,
in unitate, cui manet imperium
ex tunc et modo per aeterna saecula.

VII

Gloria Patri per immensa saecula,
sit tibi, Nate, decus et imperium,
honor, potestas Sanctoque Spiritui;
sit Trinitati salus individua
per infinita saeculorum saecula.

VIII

Deo Patri sit gloria
tibique soli Filio
cum Spiritu Paraclito,
nunc et per omne saeculum.

IX

Sit, Christe, rex piissime,
tibi Patrique gloria
cum Spiritu Paraclito,
in sempiterna saecula.

X

Iesu, tibi sit gloria,
qui morte victa praenites,
cum Patre et almo Spiritu,
in sempiterna saecula.

XI

Iesu, tibi sit gloria,
qui natus es de Virgine,
cum Patre et almo Spiritu,
in sempiterna saecula.

XII

Iesu, tibi sit gloria,
qui te revelas gentibus,
cum Patre et almo Spiritu,
in sempiterna saecula.

XIII

Laus Redemptori tibi sit perennis,
aequa laus summum celebret Parentem,
Spiritus Sancti resonet per omnem
gloria mundum.

XIV

Per te sciamus da Patrem,
noscamus atque Filium,
te utriusque Spiritum
credamus omni tempore.

XV

Patri sit et Paraclito
tuoque Nato gloria,
qui veste te mirabili
circumdederunt gratiae.

INDICES

I

INDEX GENERALIS CELEBRATIONUM ET HYMNORUM IUXTA ORDINEM HUIUS OPERIS

Hymni hebdomadales in Psalterio per annum

Ad Officium lectionis

Tempore Nativitatis et Epiphaniae

Tempore Quadragesimae

Tempore post Pentecosten

In ceteris festis Domini

In Communi Virginum

In Communi Matronarum vel Viduarum

In festis B. Mariae V. et Sanctorum

In festis B. Mariae V.

II

INDEX ALPHABETICUS OFFICIORUM ET NOMINUM

I

Officia hebdomadae per annum

II

Officia de Tempore et Festorum

III

INDEX ALPHABETICUS HYMNORUM

m = metricus; rh = rhythmicus; s = ex sequentia aliqua sumptus.
Litteris « cursivis » signantur discrepantia initia Breviarii Romani.

IV

INDEX HYMNORUM BREVIARII ROMANI QUORUM INITIA DISCREPANT A NOSTRIS

V

INDEX AUCTORUM

(Signantur numeri singulorum hymnorum)